cio, *ibi*, *l.* 13. 13. *& ult. C. de agricolis, & censitis*, *l.* 11. at vero filium in matrimonio susceptum patris conditionem sequi. Pro illis & eorum sententia expenduntur textus *in l. cum legitime* 19. *l. lex natura* 24. *ff. de statu hominum*, qui conjunctim legendi sunt, & tunc in eis statuitur, quod cum dantur legitimæ nuptiæ, filii patris, non matris conditionem sequuntur: cum vero non intervenit matrimonium, filii ex naturæ lege sequuntur conditionem matris, nisi lex specialis aliud inducat: igitur filii ex nuptiis suscepti, licet injustis, quia inter liberum, & ancillam jure Romanorum non datur connubium, quoad libertatem sequuntur patris conditionem. Expenditur etiam textus *in l. 2. ff. ne de statu defunctorum*, ubi supponitur, propter partis memoriam filii status quæstionem moveri posse. Contrariam tamen sententiam, videlicet filium, tam in conjugio, quam vulgo susceptum, quoad statum sequi matris conditionem, docent Amaya *ubi sup.* Sanch. *de matrim. l.* 7. *disp.* 4. *n.* 8. Benitez *in d. c. unic. n.* 33. Moez *in princ. Instit. de ingenuis*; quorum sententia probatur *ex d. l.* 5. §. 2. *ff. de statu hominum*, in illis verbis: *Nec interest justis nuptiis concepti, an vulgo*; ex nostro capite finali, *l. si ignorans*, 3. *C. sol. matrim. l. si libera* 6. *C. de suis, & legit. heredib.* qua opinione retenta, non obstat textus *in d. l. lex naturæ, junctæ l. cum legitime*. Nam omissis solutionibus traditis a nostro D. Francisco de Amaya *in d. l.* 36. *C. de Decur.* dicendum est, in illis juribus non agi de statu, libertateve, sed de conditione deteriore, aut meliore, ut si nascatur filius ex nuptiis Romani civis, & peregrinæ, filius civis Romanus nascitur; si vero filius vulgo susciptatur ex peregrino, & cive Romana, civis Romanus fit, quia matrem sequitur: & sic non loquuntur Cellus, & Ulpianus de conditione patris attendenda, vel non, quoad libertatem, & quoad statum, nisi per errorem nuptiæ cum peregrino celebratæ essent. Ulpian. *In fragm. tit.* 7. Difficiliora sunt verba illa, quæ sequuntur *in d. l. lex natura: Nisi lex speciale aliud inducit*. In quibus statui videtur, lege specialiter induci posse, ut filius vulgo quæsitus deteriorem patris, vel matris conditionem sequatur: cum certum sit in filiis vulgo quæsitis matris tantum attendi conditionem. Qua difficultate oppressus Faber in ejus rationali, ea verba Tribonianio tribuit. Sed ea solutione omissa, & alia tradita a Corrasio in eo textu dicendum est, ea verba referenda esse ad legem Mensiam, qua cautum erat, ut natus ex petegrino, & cive Romana deteriorem partem sequeretur, sive pater, sive mater in peregrinitate esset. Ulpian. *in fragm. tit.* 5. §. 8. Docent Fornerius *l.* 1. *select. c.* 6. Hunnius *ad Treutl. vol.* 1. *disp.* 2. *thes.* 15. quæ lex inducta fuit in odium eorum, qui injusta connubia contrahebant; quare non debet ejus sententia ad liberos vulgo quæsitos protrahi, cum certus pater demonstrari non possit, ut docet D. Josephus de Retes *l.* 8. *opusc. c.* 5. Adriani tamen constitutione cautum fuit, ut in prædicta specie filius civis Romanus nasceretur. Videndus est Savarus *in notis ad Sidonium*, *l.* 5. *ep.* 19. *v. Mulier autem*.

Sed supra traditis adversatur textus *in cap. ult.* 32. *quæst.* 4. in illis verbis: *Filii ex libero, & ancilla servilis conditionis sunt; semper enim, qui nascitur, deteriorem parentis conditionem sumit*. Ex qua ratione generali ita a D. Isidoro Hispalensi Præsule adducta facile constat, deteriorem parentis conditionem partum sequi: igitur si pater servus sit, licet mater libera reperiatur, filius servus nascitur. Pro hujus textus interpretatione Grotius *de jure belli l.* 2. *c.* 5. *& cap.* 29. *in notis*, Benitez *in d. cap. unic.* Mancinus *de triplici jure lib.* 1. *cap.* 75. affirmant, D. Isidorum non secundum jus Romanorum, sed juxta lege Vvisigothorum, & Teutonicorum accipiendum esse; quia apud prædictas nationes partus deterioris parentis conditionem sequebatur. Sed subtilius D. Josephus de Retes existimat, sententiam D. Isidori, videlicet natum ex libero, & ancilla, servum nasci, juri consonam esse; rationem vero ab Hispaniæ Doctore adductam esse referendam ad casum legis Mensiæ, & ejus dispositionem; non vero generaliter esse accipiendam: quare juxta eam verum esse, filium deteriorem parentis conditionem sequi. 15 Intelligitur c. ult. 32. q. 4.

Secundo supra traditis adversatur textus *in lib.* 2. *ff. de statu defunctorum*, ubi asseritur, non esse libertatis quæstionem filiis inserendam propter matris, vel patris memoriam post quinquennium non retractatam. Ex quo Papiniani responso manifeste constat, æqualiter statum patris, aut matris attendi quoad libertatem filii. Pro cujus textus expositione varia adducit noster Amaya *in d. l.* 36. *n.* 27. C. *de Decur.* illis omissis Benitez *in d. cap. unic. n.* 32. existimat, Papinianum accipiendum juxta jus antiquum, ante Severi Imperatoris tempora, ante cujus constitutionem filii ex nuptiis suscepti deteriorem partem sequebantur; quod emendavit Severus *in l. Severus* 9. *ff. de conf.* statuens, ut filius matris conditionem sequatur: sed textum *in d. l.* 2. referri ad jus antiquum, & etiam textum *in l.* 7. *C. ne de statu defuncti*, *l. principaliter* 13. *C. de liberali ex caussa*. Ita Benitez *ubi sup.* & D. Petrus de Velasco *in rixis consultorum pag.* 97. Sed licet hæc doctrina defendi possit in specie textus *in d. l.* 7. *C. ne de statu*, & eam amplectatur Cujac. *l.* 4. *resp. Pap.* tamen, ut ipse Benitez ubi sup. *n.* 30. contra Cujacium, Papinianus floruit temporibus Severi; unde textus *in d. l.* 2. qui ejusdem Papiniani est, non potest referri ad jus antiquum ante Severi tempora. Quare existimo *in d. l.* 2. vocem *libertatis*, accipi pro *ingenuitate*, ut *in l. cum pactis*, 40. *ff. de liberali caussa*; & sic Papinianum asserere, quæstionem ingenuitatis filii inferendam non esse propter patris, vel matris memoriam: si enim ex liberto Latino, vel liberta Latina filius nascebatur, ingenuus Latinus fiebat ut supra dixi. Ait ergo Consultus, *ingenuitatis quæstionem filiis inferendam non esse*, id est, an ingenui cives, an ingenui Latini essent, ex eo, quod patris, vel matris Latini memoria post quinquennium retractata sit. 16 Exponitur l. 2. ff. ne de statu defunct.

TITULUS XIX.

De obbligatis ad ratiocinia Ordinandis, vel non.

CAPUT UNICUM.

Ex Concilio a Carthaginensi.

MAgnus Episcopus *e* Augustinus dixit: Quid dilectioni vestræ videtur, *d* procuratores, actores, *e* executores, seu curatores pupillorum, si debeant ordinari? *f* Gratus Episcopus dixit: Si post deposita onera, & reddita ratiocinia, actus vitæ ipsorum fuerint comprobati in omnibus, debeant cum laude Dei (si postulati fuerint) honore munerari: si enim ante libertatem negotiorum, vel officiorum fuerint ordinati, Ecclesia infamatur. *g* Universi dixerunt; Recte statuit Sanctitas vestra, ideoque ista est nostra sententia.

NOTÆ.

1 a *Carthag.*) Primo, ut referunt Barchard. *l.* 2. *Decreti*, *c.* 36. Ivo Carnot. *par.* 6. *Decreti*, *cap.* 137. Gratianus *in c. Magnus*, 54. *dist.* Ant. August. *in c. unic. hoc. tit. in* 1. *collect.* sed quodnam fuerit hoc Concilium Carthag. & ubi celebratum fuerit, referre oportet. Sciendum autem est, Charthaginem insignem Africæ urbem fuisse, quam post Trajanum bellum a Didone conditam fuisse, testatur Eusebius. Tanta autem ejus potentia fuit, ut tota Africa cultiori potiretur, ut referunt Strabo, & Polybius: a Romanis funditus eversa fuit, & cum deserta permansisset, tandem a Cæsare instaurata est, ut referunt Strabo *l.* 17. Plinius *l.* 15. *c.* 4. Ptolomeus *l.* 4. *c.* 3. Justinianus Vvandalis pulsis Carthaginis dignitatem conservavit, & nova Præfecti Prætoria sede auxit, *l.* 1. *ff. de officio Præfecti Africæ*. Ejus provincia Proconsularis fuit, unde Episcopi Proconsulares dicuntur, ut refert Berterius *diatriba* 1. *pag.* 28. & 51. Carolus a S. Paulo *in Geograph. sacra, in Africæ descript.* In ea civitate varia fuerunt congregata Concilia, inter quæ primum enumerat, quod celebratum fuit an. 248. non quia antea alia non fuissent celebrata, sed quia aliis deperditis, illorum, quæ extarent, hoc primum probaretur. Congregatum fuit a Grato Carthaginensis Præsule, & in eo de schismaticis Episcopis ad unitatem Ecclesiæ conversis 14. canones sanciti fuerunt, qui reperiuntur *t.* 1. *Concilior.* ex quibus aliqui transcripti sunt in juris nostri corpore: can. 6. *in c. credo*, 21. *q.* 2. can. 8. *in presenti*, can. 11. *in c. si quis tumidus* 15. *q.* 7. can. 11. *in c.* 1. *de pacis*.

b *Magnus.*) Ita appellabatur Episcopus, qui præsentem canonem rogavit, & in Concilio proposuit.

c *Augustinus.*) Ita legitur in Decretalibus; in Conciliis autem legitur *Astiagensis*, qui Episcopatus est in ipsa provincia Carthaginensi.

d *Procuratores.*) Plura procuratorum genera sunt, de quibus in præsenti agere in animo non est; nam hic tantum agitur de procuratoribus præpositis ad rationes; qui enim olim rationibus præerent, procuratores a rationibus dicebantur. Seneca *ep.* 14. ibi: *Rationes accipit, forum concurit, Kalendarium versatur, fit ex domino procurator*. Petronius *in satyr. lin.* 16. ibi: *Procurator rationes accipiebat*. Clarius constat ex veteri lapide transcripto a Salas *in notis ad Petronium d. lin.* 16. *p.* 113. ibi:

T. AURELIO
AUG. LIB.
APHRODISIO
PROCURAT. AUGUST.
A RATIONIB.

Unde & rationales, procuratoresque dicebantur, ut ex Lampridio notant Cujacius *l.* 8. *observ. c.* 32. Marcellus Donatus *in notis ad Ammianum*, *c.* 15. *to.* 6. *thesauri critici*, *pag.* 806.

e *Executores.*) *Exactores*, emendat Ant. Aug. *in notis ad hunc textum*, *in* 1. *collect.* ut comprehendantur sacrarum largitionum exactores, id est summarum rationales, seu tributorum publicorum susceptores, de quibus *in l.* 3. *C. si propter publicas pensitationes*, *l. exactores* 8. *C. de susceptoribus*, *l.* 10. qui etiam actores dominici dicuntur *in l.* 4. *Capitul. Clerici*, *c.* 3. & 41. apud Gregor. Turon. *l.* 9. *c.* 38. Sed licet hæc lectura incongrua non sit, tamen cum nullo exemplari fulciatur, aut in aliquo codice reperiatur, retinemus communem lecturam, & executores accipimus pro illis, quos paterfamilias in testamento non solum filiis tutores dedit, verum & integræ suæ dispositionis executores nominavit, de quibus *in l. si a pluribus* 107. *ff. de legat.* 1. *novel.* 68. *Leonis*, ubi tutores dicuntur executores, & executio pro tuitione, & defensione accipitur *in c.* 54. *dist.* notarunt Ciron. *hic* Dartis *in c. magnus*, 53. *dist.* 2

f *Gratus episcopus.*) Qui Concil. Carthag. primum hoc congregavit, ut supra retuli. 4

g *Universi dixerunt.*) Post rogationem enim legis ecclesiasticæ, si juste lex rogabatur, omnes ita placitum exprimebant, ut constat ex aliis canonibus hujus Concilii, & aliorum etiam Carthaginensium, quos retulerunt, & notis illustrarunt Balsamo, & Justelus.

COMMENTARIUM.

5 Conclusio refert. & probatur. EX hoc canone talis deducitur assertio: *Ratiociniis obligati ad sacros ordines admitti nequeunt, nisi deposito onere, & redditis rationibus*. Probant eam textus *in c. illud*, 23. *dist. c. præcipimus*, 34. *dist. c. preterea*, 51. *dist. c.* 1. *c. legem*, *c. de designata*, *c. preterea*, *c. final.* 53. *dist. c. tantis*, 83. *dist. c.* 1. & 2. 21. *q.* 3. Conc. Tolet. 1. *can.* 8. *Clericos, si qui obligati sunt, vel ex aquatione, vel genere alicujus domus non ordinandos*. Ubi pro *æquatione*, legendum credo *peraquatore*, argumento legis *si peraquatore* 3. *C. de censibus*, *l.* 11. D. Greg. *l.* 2. *regestr. ep.* 61. approbans in hac parte Mauritii Constitutionem, ibi: "Dominorum pietas sanxit, ut quisquis publicis administrationibus fuerit implicatus, ei ad officium ecclesiasticum venire non liceat; quod valde laudavi, evidentissime sciens, quia qui habitum sæcularem deferens ad ecclesiastica officia venire festinat, mutare vult sæculum, non relinquere. *Quam epistolam dolle explicat Petro Marchia* lib. 2. concord. Sacerd. & Imper. c. 11. *Synodus septima sub Adriano II.* canon. 13. Nullatenus autem habeant potestatem, qui Principum domorum, seu suburbanarum rerum curam gesserint, inter Clerum magnæ Ecclesiæ colligi vel constitui. *Urb. II. in Synodo apud Melfam*, canon. 11. Cavendum est, ne servilis conditionis, aut curialium officiorum obnoxii ab Episcopis promoveantur in Clerum. *Conc. Tolet.* 4. can. 47. & 8. can. 3. *Innoc. I.* ep. 2. ad Victricum, c. 11. Præterea frequenter quidam ex fratribus nostris Curiales, vel quibuslibet publicis functionibus occupatos, clericos facere contendunt, quibus postea major tristitia cum de revocandis eis ab Imperatore aliquid præcipitur, quam gratia de ascitis nascitur; constat enim eos in ipsis muniis etiam voluptates exhibere, quas a diabolo inventas esse non dubium est; & ludorum aut munerum apparatibus, aut præesse, aut interesse: Sit certe in exemplum solicitudo, & tristitia fratrum, quam sæpe pertulimus Imperatore præsente, cum pro his sæpius rogaremus, quam ipse nobiscum positus cognovisti; quibus non solum inferiores clerici ex curialibus, verum etiam jam in Sacerdotio constituti, ingens molestia, ut redderentur, instabat. *Can.* 33. *collectionis Ferrandi*: Ut clerici, vel ratiocinatores, non ordinentur. *Caput* Monachos, 16. *q.* 1. *juxta veram lecturam, quam ita ex excusis veteribus codicibus refert Quintanad.* l. 3. eccles. n. 46. Si quos forte Episcopi deesse sibi clericos arbitrantur, ex monachorum numero rectius ordinabunt, non obnoxios publicis, privatisque rationibus, cum invidia teneant, sed habeant jam privatos. *Sinodus Rhemensis sub Senacio Episcopo, apud Flodoardum* lib. 2. hist. Rhemensis, c. 5. Hi vero, quos publicus census expectat, sine permissu Principis, vel Judicis se ad Religionem sociare non audeant. *Lex* & clerici officiales 4. C. de Episc. & Cler. *Lex* 3. C. Theod. eod. tit. Cum constitutio emissa præcipiat, nullum deinceps decurionem, vel ex decurione progenitum, vel etiam instructum idoneis facultatibus, atque obeundis publicis muneribus opportunum, ad clericorum nomen, obsequiumque confugere, sed eos de cetero in defunctorum duntaxat clericorum loca subrogari, qui fortuna tenues, neque muneribus civilibus teneantur obstricti: cognovimus illos etiam inquietari, quia ante legis promulgationem clericorum se consortio sociaverint. Ideoque præcipimus his ab omni molestia libertatis illos, qui post legem latam obsequia publica declinantes ad clericorum numerum confugerunt, procul ab eo corpore segregatos, Curiæ, ordinibusque restitui, & civilibus obsequiis inservire. *Lex* 6. eod. tit. & C. Neque vulgari consensu, neque quibuslibet petentibus sub specie clericorum a muneribus publicis vocatio deferatur, nec temere, & circa modum populi clericis connectantur: sed cum defunctus clericus, ad vicem defuncti alius eligatur, cui nulla ex municipibus prosapia fuerit, nec ea est opulentia facultatum, quæ publicas functiones facillime queat tolerare. *Lex* 98. & 100. C. *Theod. de Decur.* lex 7. *eod. C. de cohortalibus*. Consonat lex 23. *tit.* 6. *partit.* 1. ubi Greg. Lopez. Illustrant ultra congestos a Barb. in præsenti, & *l.* 1. *de jure eccles. c.* 33. *n.* 134. Ant. August. *in epit. juris Pontif. l.* 27. *tit.* 23. Acunna, & Joan. Dartis *in c. legem*, 51. *dist.* Chopinus *l.* 3. *sacra polit. tit.* 3. Juretus *in notis ad Symmachum l.* 6. *ep.* 4. & ad libell. S. Ambr. pag. 327. I. Gothof. *in l.* 49. *C. Theod. de Decur.* Albaspin. *lib.* 1. *observ. c.* 22. Gibalin. *tom.* 1. *de negot. l.* 3. *c.* 3. *art.* 10. Dartis *in c.* 10. 34. *dist.* Petr. Greg. *lib.* 15. *syntagm. c.* 16. *n.* 8. Latdmet. *l.* 2. *de veteri monacho*, *cap.* 25. Vighel. *in meth. juris can. pag.* 238. Raymund. *lib.* 3. *summ tit. de obligatis ad ratiocinia*, Suar. *de cens. disp.* 51. *sect.* 2. Bouquet. *ad Innoc. l.* 2. Quintanad. *l.* 3. *Ecclesiast. c.* 21. *n.* 47. Bignognius *ad Marculfum l.* 1. *c.* 19. Gibalin. *de irreg. c.* 3. *q.* 5. *princ.* 3. Langleus *l.* 9. *semestrium*, *c.* 2. Vvadingus *in notis ad opera D. Francisci*, *tom.* 2. *pag.* 237. Mornacius *in l.* 4. *C. de Episc. & cleric.* Souchetus *in notis ad epistolas Ivonis*, *ep.* 147. Fornerius *l.* 3. *select. c.* 7. *per totum*, Saussay *in Panopl. cler. l.* 1. *c.* 10. Juretus *ad libellum S. Ambrosii p.* 327.

6 Impugnatur ejusdem assertio. Sed adversus hanc assertionem ita illustratam pro ratione dubitandi ita insurgo. Si obligati ad ratiocinia, & procuratores rationum, & tutores ordinari non possent, ne Ecclesia infametur, multo magis, & post ordinationem, & grados sacros susceptos, pupillorum tutores, seu rationum procuratores clerici esse non possent ob eamdem rationem, *c.* 1. 2. & *per totam* 21. *q.* 3. sed sic est, quod jam promoti ad sacros ordines, pupillorum tutores, & rationum procuratores designari possunt: igitur & ante promotionem ratiociniis obligati, & his ministeriis mancipati, rite ordinari valebunt. Probatur minor *ex c. final.* 86. *d. c.* 2. *d.* 87. Alexius Patriarcha C. P. in Synodica, quæ *l.* 2. *sentent.* extat his verbis: *Curatores similiter a Metropolitanis dentur, qui Ecclesiis omni adhibita solicitudine cum Episcopis earum prospiciant, & administrationis annua rationes exigant. Quod autem hoc a nobis ita definita consentaneæ sint accurate canonum menti, ex ipsis sacris canonibus constat; nam XXV. canon Antiochenæ Synodi, potestatem in res ecclesiasticas Episcopi concedens, quominus eas in usus suos convertant, cognatisque suis præbeant, ut hoc modo rationes Ecclesiarum tacite detrimentum capiant, prohibet; idcoque rationibus ad Synodos provinciales reddendis obnoxios faciens, decoris explorandi curam injungit*. Ubi clerici proponuntur ut rationum procuratores. Augetur hæc difficultas ex eo; nam si procuratores, & alii ratiociniis obligati ordinari non possent, maxime propter exercitium, & ministerium, quod obtinent, ex nostro textu, ibi, *Ante libertatem*; multo magis adscriptis, qui agriculturæ, & glebæ terræ mancipati sunt, *c.* 1. *d.* 55. sed isti ad sacros ordines ascendere valent, & sic promoti plena libertate fruuntur, *authen. adscriptitios*, *C. de Episc. & cleric.* igitur similiter rationibus obnoxii ordinari valent.

Hac tamen difficultate non obstante verum est, obligatos publicis, seu privatis ratiociniis, nisi deposito onere, & rationibus redditis, ordinari non valere; quia prohibitione comprehenduntur curiales, qui Curiæ inserviunt, & illi traditi sunt, ut civilia munera procurent, & exequantur, *c.* 1. 2. & *per totam* 51. *d.* licet apud Romanos inter honores municipales, qui Decurionibus pro meritis cujusque deferri solebant, sacerdotium enumeraretur, *l.* 21. *C. Theodos. de Decurion.* Sidonius *l.* 5. *ep.* 7. notat Valesius *ad Marcellinum l.* 28. *pag.* 375. Similiter qui publicis rationibus, seu Politypchis census est. Rationes autem publicæ, Politycha dicuntur *in l.* 2. *C. Theodos. de discussoribus*, ubi quæ in principio Imperatores politycha dixerant, in fine ratiocinia publica vocant; quod ibi recte Anianus interpretatur, & notarunt ex Vegetio *l.* 2. *de re milit. c.* 10. Cassiodoro *l.* 5. *variar. c.* 14. & veteri Marculfi formula *c.* 10. Cujac. *l.* 4. *observ. c.* 27. Bignon. *ad Marculfum d. c.* 20. Saussay *in panopl. cleric. l.* 1. *c.* 10. Isti ergo publicis rationibus censiti ordinari non valent, ex juribus supra adductis. Unde in Concilio Aurelian. 1. celebrato temporibus Cladovei Regis statutum fuit, ne quisquam implicatus sæculi negotiis, scilicet publicis rationibus, in Clerum cooptari possit, nisi ab ipso Rege impetrata licentia, aut judicis sententia liber pronuntietur a prædictis rationibus. In Concilio item Rhemensi sub Dagoberto, celebrato anno 630. sancitum fuit, ut qui publico censu tenerentur, religiosi, seu clerici, sine permissu Principis, aut sententia judicis non fierent. A quibus decretis initium habuerunt præcepta de clericatu a Regibus ordinandis dari solita, quorum formam refert Marculfus *l.* 1. *c.* 19. Notarunt Bignonius *ibi*, Pitheus *ad tit.* 26. *legis Salicæ*. Qua ratione cum Ludovicus VI. Stephanum ejus Cancellarium, & Comitem Palatinum peteret ab Episcopo Senonensi in Episcopum Parisiensem consecrari, asseruit, & præmonuit ordinatores, ipsum Stephanum ab omni nexu civilis administrationis esse liberum; & cum postea inquietaretur, tamquam ordinatus non redditis rationibus, assertione Regis excusatus fuit, ut constat ex D. Bernardo *ep.* 46. *usque ad* 50. Quod idem contigisse S. Thomæ Cantuar. Archiepiscopo, probatur ex ejus vita, ex Eduardo relata a Surio *die* 29. *Decembris*: cum enim hac in re nihil proficerent ejus adversarii, aliud tentatum est, ut redderet rationem eorum, quæ tunc, cum esset Cancellarius, custodienda accepisset, & ut ea expendisset: nec licentiam ante obtinuit, quam publice pronunciatum esset, ab ejusmodi liberum eum fore. Nec solum publicis rationibus obstricti ordinari prohibentur, verum & privatis ratiociniis nexi ab ordinibus arcentur ex nostro titulo *de obligatis*; veluti procuratores rationibus, executores, tutores, & similes. De curialibus non ordinandis.

7 Ratio decidendi. Hujus prohibitionis rationes pro diversitate personarum, quæ in ea comprehenduntur, variæ sunt; curiales enim ideo ordinari prohibentur, quia curialium sordidum genus est, imo & sceleratorum, qui propter aliquod scelus pœnæ loco curialium collegio mancipabantur, ut late probavimus *in cap. cum non de homine, de judiciis*. Unde sacerdotes graviter delinquentes, Curiæ servituti tradebantur, *c. statuimus* 31. 11. *q.* 1. *c. clericus* 8. 3. *q.* 4. *novella Justin.* 123. *c.* 29. Probant I. Dartis *in c.* 10. 34. *dist.* Turrianus *lib.* 2. *pro canon. Apost. c.* 14. Alia etiam ratio assignari potest ex eo, quia curiales in ludis,

BIBLIOTECA CENTRAL

ludis, & spectaculis populo exhibendis exercebantur, ut probavi *in can.* 2. *Concilii Illiberit.* Unde indecens erat, ut ad sacros ordines dum Curiæ deserviebant admitterentur. Quam rationem expressit Innoc. I. *in d. ep. ad Vitrium*, cujus verba supra retuli in confirmatione conclusionis. Sed licet justæ rationes præsentis assertionis a Doctoribus perpendantur, & expendantur; genuina tamen, & propria ratio petenda est ex eo, quia Curiæ datus, servus Curiæ fiebat unde eam deserere non poterat; imo si propria auctoritate desertisset, a Curia repetebatur, *c.* 2. *d.* 53. Plura cumulavit Souchetus *in notis ad ep.* 147. *Ivonis Carnot.* Unde ne dignitatis obtentu Reipublicæ munera desererentur, recte a Sanctis Patribus statutum fuit, ne curiales ante libertatem, & rationibus nondum redditis, sacris initiarentur ordinibus; quam rationem innuerunt Di. Ambrosius *l.* 5. *ep.* 31. *contra Symachum*, Imperatores *in l.* 104. *C. Theodos. de Decur.* pulchre Cassiodorus *l.* 2. *ep.* 18. "Priscarum legum reverenda dictat auctoritas, ut „ nascendo curialis nullo modo possit ab originis suæ muniis „ discrepare, nec in aliud Reipublicæ officium trahi, qui „ talis præventus fuerit sorte nascendi. Quod si eos, vel ad „ honores transire jura vetuerunt, quam videtur esse contra„ rium, curialem Reipublicæ amissa turpiter libertate servi„ re, & usque ad conditionem pervenisse postremam, quam „ vocavit antiquitas Minorem Senatum? Noverit itaque re„ verentia vestra, Parsinates municipes collegas suos asserui„ se, Ecclesiam vestram irrationabiliter sibi velle defendere. „ Unde providentia vestra pro integritatis suæ proposito exa„ minata veritate discutiat, quæ veniunt in querelam: & si „ desideria petitorum veritate subsistunt, pro implendis mu„ niis eos ad Curiam suam remeare permittat. Si vero Cle„ ro vestro creditis, in eis aliquid rationabiliter suffragari, „ ad nostrum Comitatum instructam personam modis omni„ bus destinate, quæ adversariorum debeat intentionibus ob„ viare. Quod si de negotii qualitate dubitatis, convenit sa„ cerdotalibus institutis, ut ante controversiam justitiam ma„ gis ipse cognoscat, quam de judicio victus abscedat. „ Talem fiquidem non oportet publice superari, quem ama„ torem æquitatis convenit inveniri. „ Quam rationem illustrat Albaspineus *l.* 1. *observ. c.* 22.

8 Prosequitur decisiva ratio.

Rationibus publicis, & privatis obnoxios, & obæratos ideo ordinari non posse existimat Cironius *in parat. ad hoc tit.* quia eorum corpora creditoribus obligata cententur, & quodammodo eorum servitio mancipata, ut innuunt Patres præsentis Concilii in illis verbis: *Libertatem adeptam*. Unde cum servi, nisi a dominis manumissi ordinari non possint, *c.* 1. ubi late probavi, *de servis non ordin.* ideo ratiociniis obligatos ad sacros ordines admitti non posse, credit perdoctus Cironius. Sed pace tanti viri, hæc ratio sustineri non potest; nam lege Petilia abrogata, seu usu nunquam recepta, jam pluribus retro sæculis ante hoc Concil. Carthag. liberi homines neque mancipio, neque pignoris nexui obligari poterant, ut probavimus *in c.* 2. *de pignor.* Neque verba expensa a Cironio libertatem a servitute important, sed a ratiociniis, & negotiis, ut ex verbis sequentibus facile constat. Quare ea ratione omissa, vera præsentis assertionis ratio assignatur a SS. PP. in illis verbis hujus canonis, *ne infametur Ecclesia*. Cum enim clericis prohibeatur actorum, procuratorum, tutorumque officiis implicari, *c.* 1. *& per totam* 21. *q.* 3. merito qui exercent ea officia, nisi illa deseruerint, ordinari prohibentur, ne infametur Ecclesia, cui præsunt. Neque etiam ante rationes redditas ordinari debent, ne jam promoti diversis litibus vexentur, & a sacris ministeriis distrahantur, ut litibus interfint; præcipue coram judice laico, coram quo conveniri possunt pro tutela antea gesta, ut probat Marinis *l.* 1. *resol. c.* 53. Accedit, nam tutores judicio tutelæ damnati infames fiunt, *l. furtis* 6. §. 6. *ff. de bis, qui notant. infamia*. Unde ne clerici jam promoti directa tutelæ actione damnati, infamia notarentur, juste prohibitum fuit, ne nisi rationibus redditis ad Ecclesiæ gradum admitterentur. Facit etiam, nam si ante rationes redditas tutores, & actores ordinarentur, potentiores redderentur adversariis suis, & potius litis causa, quam devotionis gratia ordinari crederentur; quod etiam in militibus damnatum fuit, *l.* 4. §. *non omnis ff. de re milit.* Quare fertur Alexandrum Magnum prius, quam secerneret, quos retenturus esset milites, edixisse, ne ii æs alienum profiterentur, ut actor est Quintus Curtius *l.* 9. Illustrant Pancirolla *l.* 2. *variar. c.* 145. Defiderius Heraldus *emendat. juris c.* 12. Recte ergo statutum fuit in præsenti canone, ut ante depositionem officiorum, & rationes redditas obligati ad ratiocinia sacris ordinibus non initiarentur. Accedit tandem usus diversarum gentium, apud quas obligati ad ratiocinia, illis non redditis, ad honores non admittebantur. Jure enim civili Romanorum statutum legimus, ne debitores rerum publicarum ad honores admittantur, nisi prius redditis rationibus, & debitis solutis, *l. rescripto*, §. *debitores*, *ff. de muneribus*, *l.* 1. *C. de debitor. civitatum*, *lib.* 10. quinimo neque reipublicæ vectigalia conducere poterant, *l.* 4. *ff. de legation.* Cujac. *ad tit. C. ne tutor vectigalia*. Et jure ipso civili Curiæ obnoxius, si forte ut onus curiale excuteret, clericus fieret, cogebatur transferre bona sua in alium, qui vices impleret in publico munere subeundo, *l.* 49. 99. 115. 121. 123. 172. *C. Theodos. de Decur.* etiam jam Episcopi, Presbyteri, vel Diaconi esse meruerint; quo modo legi debere *in l.* 173. *eod. tit.* notavit Juretus *ad libellum* 2. *D. Ambrosii*, *pag.* 327. Ante etiam Constantinus statuerat *in l.* 49. *eod. tit.* ita demum curiales non cogi facultatibus cedere, si vita insignes essent, & totius populi vocibus expeterentur, consentiente Curia. Ex constitutione autem Valentiniani *in l.* 19. *C. Theodos. de Episc. & cler.* curialis cum patrimonio habebatur immunis, si decenium in Clericatu impleverat. Tandem permissum fuit per substitutum Curiæ clericos deservire, *l.* 115. *l.* 163. *C. Theodos. de Decur. lib.* 3. *C. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt*. Tempore D. Ambrosii Curiæ obnoxium ad ordines ascendentem patrimonio proprio multari, constat ex *ep.* 29. *ipsius S. ad Theodos. & ep.* 31. *l.* 5. *ad Valentinianum*. Apud Athenienses etiam non licebat debitorem rationibus non redditis publica munia obire. Demostheges *in orat. contra Androtionem*. Similiter apud Venetos lege prohibitum fuisse fisci debitoribus Magistratus petere, refert Petrus Benevent. *l.* 5. *hist.* & post eum Langleus *l.* 7. *semest. c.* 2.

9 Difficultas.

Nec obstat jam difficultas supra adducta, pro cujus solutione discrimen constituendum est inter tutores rationum Ecclesiæ, & tutores miserabilium personarum; & inter tutores testamentarios, & legitimos. Primi non solum dum rationes Ecclesiæ procurant, & tutelas miserabilium exercent, ordinari possunt; verum & postquam ordinati sunt, eligi valent in procuratores, & tutores, ex juribus supra traditis, *ex c.* 1. 21. *q.* 3. Secundi vero ordinari non possunt, ex rationibus supra traditis. Docent, & ita communiter distinguunt repetentes in hoc textu, & post eos Barbosa *in pref.* Gibalin. *de irreg. d. c.* 3. *pag.* 108. Nec augmentum difficultatis adversatur; nam potius verum est, adscriptitios, seu conditionales, quorum personæ obnoxiæ sunt prædiis, ordinari non posse, ut probant Bosquetus *ad Innocent. l.* 1. *ep.* 37. Lemaistre *de juribus Ecclesia l.* 3. *c.* 8. & dixi *in c.* 1. *de servis non ord. n. ult.* Justinianus tamen Imperator sua speciali constitutione permisit, adscriptitios sine dominorum voluntate ordinari: dum tamen adhuc post sacerdotium agriculturam sibi injunctam adimplerent, *authent. adscriptitios, C. de Episc. & Cleric.* Quod jus nostrum admisit, dum non per se; sed per vicarios impleretur, *c. ex antiquis* 9. *cum seqq.* 54. *d.* quo casu ab omni jure colonario, seu agicolturæ liberabantur.

10 Intelligitur Clem. ne in agro §. quia vero, de statu monac.

Superiori assertioni adhuc opponitur textus *in Clem. ne in agro*, §. *quia vero, de statu monach.* in illis verbis: *Regulares canonici administrationem aliquam non habentes*. Ubi cum generalis prohibitio proponatur, ne monachi, & canonici regulares Curias Principum adeant absque speciali Prælatorum licentia, illa exceptio adjicitur, *nisi aliquam administrationem habeant*, igitur Canonici possunt ordinari, & in Canonicos eligi, administrationi & ratiociniis obligati. Pro cujus difficultatis solutione dicendum est, in eo textu agi de administratione rerum ipsius monasterii, quæ Monachis, & Clericis permissa est. Prohibitum enim erat jam a primis Ecclesiæ temporibus monachis, & clericis adire Principis Curiam sine licentia Episcopi, aut Metropolitani. Synodus Antiochena *can.* 11. Sardicensis *can.* 7. 8. *&* 9. Parisiensis sub Ludovico, & Lothario *l.* 3. *c.* 14. Semper tamen excipiebatur causa monasterii, si monachi eam procurabant. Concilium Meldense *can.* 57. *Monachi, quibus monasteriorum cura commissa non est, passim, & sine auctoritate palatium non adeant, nec in eo morentur*. Eo enim casu nullam excommunicationem incurrebant canonici regulares, vel monachi Curiam adeuntes, ut docent Suarez *de censuris disp.* 23. *sect.* 5. *n.* 6. Sayrus *l.* 5. *thesauri*, *c.* 33. *n.* 26. plures relati a Gibalino *de clausura regul. disquis.* 2. *c.* 2. §. 3. *n.* 29. *& de censuris in synopsi*, *pag.* 448. Unde cum ex eo textu agatur de administratoribus rerum monasterii, ideo supponitur eos, & in canonicos eligi, & ad sacros ordines promoveri, & jam promotos ad administrationem, & procurationem rerum monasterii admitti.

11 Exponitur Concil. Tolet. 3. can. 6.

Deinde adversatur textus *in can.* 8. *Concilii Tolet.* in illis verbis: *Inmente, atque consentiente Domino piissimo Recaredo Rege, id præcipit sacerdotale Concilium, ut clericorum ex familia fisci nullus audeat a Principe donatos expetere, sed reddito capiti sui tributo, Ecclesiæ Dei, cui sunt alligati, usquedum vivent, regulariter administrent*. Ex quibus apparet, clericos post suam ordinationem solvere debere tributum capitis sui: ergo publicis rationibus, ac tributis censiti, atque nexi, possunt ad sacros ordines ascendere. Pro cujus textus interpretatione sciendum est, in eo textu agi de servis fisci, seu familiæ Ecclesiæ, de quibus egi *in c.* 3. *de servis non ord.* qui cum fuissent donati ad servitium Ecclesiæ, etiam ordinati tributa pendebant Ecclesiæ, lege Alemanica *tit.* 22. *c.* 44. *Qualiter servi Ecclesiæ tributa solvere debeant*, in hæc verba: *Servi Ecclesiæ tributa sua legitime reddant, quindecim siclas de cervisia, porcum valentem tremissis uno, panum modia duo, pullos quinque, ova viginti. Ancilla autem opera sua neglecto faciant; servi dimidium sibi, & dimidium in dominico arativum reddant; & si super hæc est, sicut servi ecclesiastici, ita faciant, tres dies sibi, & tres in dominico*. Concilium Paris. 3. *can.* 9. Eos ergo servos ita donatos aliqui expetebant a Rege, ut ordinarentur; quod cum Rex concederet; & Episcopi ordinarent, ac per consequens Ecclesia eorum servitio privaretur; decretum fuit a Patribus, ut ex familia fisci donatos Ecclesiæ nullus in clericos expeteret, neque ordinaret, alias tributum ipsi servi servarent, & in Ecclesiæ servitio persisterent. Quæ interpretatio suadetur ex summario ipsius canonis, & notatis a Loaysa *in d. can.* 8. & defendi potest, donec alius meliorem non affert. Ipsius Concilii historiam latius prosequitur Yepes *in chron. D. Benedicti*, *an.* 589. *c. fin.*

TITULUS XX.

De corpore vitiatis ordinandis, vel non.

CAPUT PRIMUM.

Alexander III. *Archiep.* a *Salernitano*.

DE Presbytero *b* Campaniæ, qui duellum Iponte obtulit, & oblatum suscepit, & in eo partem digiti amisit: respondemus, quod cum ipse non perdiderit tantum de digito, quin sine scandalo possit solemniter celebrare, satis potes post peractam *c* pœnitentiam cum eo *d* misericorditer agere, & permittere, ipsum in suo ordine ministrare, licet ejus excessus *e* gravis admodum extitisset.

NOTÆ.

1 a *Aler.*) Ita etiam legitur *in c.* 1. *hoc tit.* & post Concilium Later. *p.* 26. *c.* 4. ubi etiam referuntur aliæ partes hujus epistolæ, quæ etiam in hac sexta collectione reperiuntur *in c. at si clerici* 4. *de judiciis*, *c.* 3. *de sponsa duorum*, *c. Presbyterum* 7. *de homicidio*, *c.* 1. *de clericis pugnantibus*, *c. de cetero*, *de testibus*, *c. de quarta*, *de præscript. c. licet*, *de cognat. spir. c. de cetero*, *de accusat.* ex quibus integra redditur epistola Alexandri III. Salernum autem, ut ait Strabone *lib.* 5. est in Campania, cujus Episcopus Gaudentius subscripsit in Concilio Romano I. sub Symmacho.

b *Campaniæ.*) Campania est Regio Italiæ fertilissima, eo quod campestris est, ita dicta: vulgo appellatur: *Terra de labor*. De ea Juvenalis.

Provida Pompejo dederat Campania febres.

Virgilius 10. *Æneidos*, ibi:

Et Capys hinc nomen Campanæ dicitur urbi.

Hararius *l.* 1. *serm.*

Campanam ob morbum in faciem permulta jocantur.

Unde cum præsens casus contigisset in Campania consultus Alexander III. ejus decisionem Archiepiscopo Salernitano rescripsit. Plura de hac provincia Ant. Sanfelicius monachus *in sua Campania*.

c *Pœnitentiam.*) Privatam, non solemnem, alias ministrare non posset, neque ad altiores gradus ascendere, *c. Pœnitentes*, 50. *d. c.* 1. ubi late dicam, *de bigamis non ordin.*

d *Misericorditer agere.*) Non quia aliquam irregularitatem contraxerat Presbyter Campaniæ ex eo, quod casu pars digiti illis abscissa esset; sed quia grave delictum perpetravit duellum ofcendo, aut acceptando; cum tot sacris canonibus inhibitum sit omnibus fidelibus, præcipue ecclesiasticis, duellum offerre, vel oblatum admittere, *c.* 1. *de clericis pugnant.* Unde cum Presbyter in præsenti duellum oblatum admitteret, dedit operam rei illicitæ, atque ideo partem digiti admittendo, sine dispensatione ad altiores ordines ascendere non poterat; ut pro hujus textus interpretatione docet Gibalinus *de irregul. c.* 3. *pag.* 47.

e *Gravis admodum.*) Ut apparebit ex dicendis *in d. c.* 1. *de clericis*.

CAPUT II.

Idem a *Cistrensi electo*.

CUM de tua, & aliorum electione, qui sunt in quibusdam *b* Ecclesiis Anglicanis electi, in præsentia nostra, & fratrum nostrorum quæstio mota fuisset, & singulis vestris quædam objecerentur, tibi objectum est, quod in oculo maculam habebas, & quod fueris Canonici filius. Attendentes itaque prudentiam, & honestatem tuam, & volentes te nostræ gratiæ, & dilectionis prærogativa gaudere, venerabili f. n. e R. Cant. Archiepiscopo A. S. L. dedimus in mandatis, ut pro eo, quod Canonici *d* filius diceris, in promotione tua ex multa dispensatione procedere non postponat. De macula vero, quam in oculo habere diceris, hoc præfato Archiepiscopo mandamus, ut e de consilio suffraganeorum suorum, & præsertim venerabilium fratrum nostrorum Exonien. & Wygorn. Episcoporum, quod exinde sibi visum fuerit, exequetur. Tu itaque eumdem Archiepiscopum, frater requirere super his studeas humiliter, & devote; quia nos tibi ex maxima dispensatione in hac parte curavimus providere, utpote qui personam tuam sincera charitate diligimus, & libenter, quantum secundum Deum possumus, ad tuum intendimus commodum, & honorem.

NOTÆ.

1 a *Cistren.*) Ita legitur in prima collectione, *sub hoc tit. c.* 2. & post Concilium Later. *p.* 40. *c.* 3. in sexta collectione legitur *Cestrens.* sed legendum est *Cicestrensis*. Cicestrensis autem est civitas Angliæ, vulgo dicta *Chichester*; Cathedra Episcopali decorata ab an. 1070. suffraganea est Archiep. Cantuar. cujus Ecclesiæ mentio fit *in c. mandamus*, *de officio Archid.* *c.* 2. *de sequestr. possess.* ubi notavit Cironius *in* 5. *compil. c.* 3. *de probat. c. constitutus* 30. *de restitu.* Hilario Episcopo hujus Ecclesiæ electo, adhuc non confirmato, vel consecrato, missa est præsens epistola.

b *Ecclesiis.*) Sunt enim variæ Ecclesiæ Cathedrales in Anglia, quæ parent Archiep. Cantuar. & Eborac. quas referunt Candenus & Polydorus Vergilius in historia Angliæ: Carolus a S. Paulo *in Geograph. sacra*, *in magna Britannia*.

c *R.*) Richardo videlicet, de quo egi *in c. ex transmissa* 7. *de statu Presbyt.*

d *Canonici filius.*) Hanc irregularitatis speciem exposui *in c.* 1. *de illiis Presbyt.*

2 e *Consilio.*) Quia agebatur de electione, & ordinatione Episcopi, nam si de ordinatione inferioris ministri tractaretur, Episcopi tantum auctoritas sufficere, cujus judicio relinquitur cognitio, quanam deformitas, seu debilitas sufficiat ad induendam irregularitatem; non ut in ea dispensetur, quia tantum Pontifex in ea valet dispensare; sed ut cognoscat si causa sufficiens est irregularitatis, ut docent post classicos in præsenti, Sayrus *de censuris c.* 7. Diana *p.* 3. *tr.* 6. *resol.* 61. plures relati a Gibalino *de irregul. p.* 3. *pag.* 45.

COMMENTARIUM.

3 Conclusio refertur, & probatur.

IN his duabus decisionibus, necnon *in c.* 6. *& fin. hoc tit.* agitur de externo corporis vitio, quod inducit irregularitatem, vel non: quare ut sub uno commentario eos textus exponamus, fit assertio: *Qui parte digiti, aut ungula pollicis carret, vel habet in oculo maculam sine magna deformitate, ordinari in Presbyterum, vel Episcopum valet; sicut vero si cum deformitate*. Probant textus *in c. præcipimus* 10. 34. *d. c. hinc etenim*, 49. *d. c. non confidat* 59. 50. *d. c. si quis pro egritudine* 9. *c. lator* 11. *de præcepto* 12. *c. si Evangelium* 13. 55. *d. c. cum inter*, *c. clerici*, *c. usque adeo*, 33. *d. c. illiterates*, 30. *d. c.* 1. *&* 2. 7. *q.* 1. *c.* 2. *de clerico ægro*. Synodus Romana sub Leone IV. Hincmarus Rhemensis *ep.* 1. *ad Adsanium Carrarcen.* *c.* 14. Concil. Tolet. 18. *can.* 4. *c.* 1. *hoc tit. in* 5. *compil.* ubi Honorius III. in „ hæc verba rescribit: „ Postulasti, Magistro N. clerico ad „ nostram præsentiam destinato, ut si votis Ultrafilvanensis „ Ecclesiæ vellemus annuere super eo, quod ad eamdem Vva„ radiensem Præpositum elegerunt; confirmationem electionis „ ejusdem remittere dignaremur. Nos vero, f. t. in hoc, & „ aliis, quantum cum Deo possumus, deferre volentes, præ„ fatum electum ad te cum gratia nostra duximus remittendum, per Apost. scripta tibi mandantes, quatenus cum hoc „ deferendi tibi causa fecerimus, erga electum ipsum, si a„ lias est idoneus, non obstante macula, quæ in altero ipsius „ oculo videbatur, sine dubitatione, prout ad tuum pertinet „ officium, exequaris. „ Alia juris testimonia congessit Ant. Aug. *in ep. Iuris Pont. l.* 4. *tit.* 11. *& l.* 1. *tit.* 27. Consonat lex 25. *tit.* 6. *par.* 1. Illustrant ultra congestos a Barbosa *in present. & de jure eccl. l.* 1. *c.* 33. *n.* 136. & *de potest. Episc. allег.* 10. *n.* 49. & *allег.* 42. Anastasius Germanus *l.* 1. *de sacror. immunit. c.* 10. & *l.* 3. *c.* 3. Pet. Greg. *l.* 1. *de rescriptis*, *c.* 36. Acunna & I. Dartis *in* 55. *d.* idem Dartis *de beneficii.*, *sect.* 4. *n.* 3. Duarenus *l.* 4. *de sacris eccl. c.* 3. Ludovicus Crelolius *l.* 2. *Mystag. c.* 6. Bobadilla *l.* 1. *polit. c.* 8. Gibalinus *de irregul. c.* 3. 1. *p.* Saulay *in Pandl. cleric. p.* 1. *l.* 6. *c.* 5. §. 1. *pag.* 236. Corrasius *de beneficiis p.* 3. *c.* 6. Michael Rousselius *l.* 1. *hist. iuris Pontif. c.* 4. *n.* 6.

Verum hæc assertio ita illustrata difficilis redditur sequenti consideratione. Sicut Deus decorem, & pulchritudinem ab intus quærit, juxta illud psalmi 44. *Omnis gloria filiæ ab intus*; nec externam faciem attendit, secundum illud *Cantic.* 1. *vers.* 4. *Nigra sum, sed formosa*: ubi D. Bernardus *serm.* 2. ait: *Niger dilectus, quia parvi mentis candorem*, ita Ecclesia in sacerdotibus, & ministris non venustatem in facie, vel integritatem in corpore; sed animæ cultum, & decorem ex virtutum splendore in externis actibus micantem attendere debet, cum plerumque legamus corpore mutilos, facie deformes, sanctitudine tamen præclaros,

4 Ratio Hecidendi.

in Ecclesiis præfectos, uberrimos attulisse fructus, quorum exempla refert Raynaud. *de eccles. sect. 2. serie 3. c. 25.* ergo licet in oculo quis maculam habeat, ex qua deformis reddatur, poterit ad sacros ordines ascendere, præcipue quia ubi nulla culpa datur, nulla pœna est, *l. sancimus, C. de pœnis; Lv. l. spirit 6. ff. de Decurion.* & afflictio non est danda afflictio, *c. 1. de clerico ægrotante.* Augetur hæc consideratio ex eo; nam non solum qui maculam in oculo habet, verum & qui oculo caret, ordinari potest: *can. 76.* ibi: *Si quis oculo deformatus, aut obtusa cruce exstitit, & dignus sit, Episcopus efficiatur. Non enim mutilatio corporis ipsam polluit, sed inquinatio animæ.* Ergo non recte asserimus, habentem in oculo maculam ita demum ordinari posse, si deformitatem non contineat. Fulcitur etiam præsens dubitandi ratio *ex c. partem 6. 55. d.* in illis verbis: *Iis iisdem vero casus veniam meruit.* In quibus proponitur, quod si casu clericus partem digiti amiserit, a sacerdotio non arcetur, quia casus veniam meretur: igitur *in c. ult. hoc tit.* etsi partem cujuslibet digiti amiserit, & scandalum adfuisset, poterat in susceptis ordinibus ministrare, & ad majores ascendere, quia casus veniam meruit.

5 De corpore vitiatis.

Qua dubitandi ratione sic fulcita minime obstante, vera est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, vitium in homine, aut animi esse, aut corporis, *l. 1. §. apud Vivianum, ff. de edilitio edicto.* Animi, ut furor, *l. si cum dotem 22. §. si maritus, ff. soluto matrim.* Medicis *de fortuitis casibus 1. p. q. 5. n. 3.* & peccatum, *in c. cum infirmitas, de penit. & remiss.* late Capolla *in d. l. 1. §. sciendum.* Vitium corporis, aut est in toto corpore, ut febris; vel in parte, ut cæcitas, & similia, *d. §. sciendum.* Menochius *de arbitrar. l. 2. centur. 1. casu 60. n. 17.* Vitium proprie non ad animi, sed ad corporis defectum, vel passionem refertur, *l. ob quæ vitia, §. idem Pomponius, ff. de edilit. edicto*; de quibus in præsenti titulo agitur. Est ergo corporis vitium defectus, qui corpori inest: *d. §. sed sciendum*; & si membrorum deformitas, aut distorsio subsit, eaque sit perpetua, vitium appellatur, *l. inter 101. vers. Verum, de V. S.* cui adde Gellium *l. 4. noct. c. 2.* Budeum *in annot. in Pandectas d. l. 1. §. Sed sciendum*, Alciatum *in d. l. inter, §. verum.* Dupliciter vero corporis vitium, vel corpore vitiatus quis dicitur: aut quia mutilatus est membro, aut quia debilitatus. Mutilatus est qui penitus membro caret; debilitatus autem, qui membrum habet, sed inefficax, & sine effectu, vel usu, *c. Presbyterum, de clerico ægrot. l. non solum, ff. de rei vind.* Prosequuntur figillatim corporis vitia, quæ inducunt irregularitatem, Majolas *de irreg. ex c. 13. usque ad 26.* Gibalinus *d. c. 3. 1. f.*

6 Origo hujus irregularitatis.

Deinde sciendum est, irregularitatem hanc ob corporis vitium jam in lege veteri ex Dei præcepto staturam reperiri. In Levitico enim jubet Dominus, ut qui habuerit maculam, non offerat panes Deo suo, nec accedat ad ministerium ejus, si cæcus fuerit, si claudus, si parvo, si grandi, vel toto naso, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impetiginem, &c. Quæ omnia ad mysticum sensum exponunt Gregorius Magnus relatus *in c. 2. d. 29.* & *in c. 1. 49.* D. Hieronymus *l. 3. ep. 4. ad Fabiolam.* Ob prædictum ergo corporis vitium apud Hebræos a sacrificiis arcebantur sacerdotes. Philo Judæus *de sacrificiis*, ibi: *Sacrificare nulli sacerdoti, nisi integro permittitur, cui ne minima quidem insit labecula.* Josephus *l. 6. de bello Judaico*, ibi: *Ad aliare, templumque accedunt carentes omni vitio.* Non tamen inde inferas, irregularitatem hanc esse juris divini, cum omnis irregularitas sit tantum impedimentum canonicum, *c. si cui, 34. d.* Trid. *sess. 14. de reform. c. 7.* ideoque Pontifex in ea valet dispensare, *c. 2. c. exposuisti, c. sin. hoc tit.* Conformis ergo est hæc irregularitas juri veteri divino; non tamen ab eo provenit, sed tantum in eo nititur. Quo modo accipiendus est textus *in c. sacerdotes, 49. dist.* Late hoc legis veteris præceptum illustrant Seldenus *de success. Hebræor. l. 12. c. 15. per totum*, Petrus Cuneus *de Repub. Hebræor.* Crefolius *ubi sup.* Theologi positivi *in c. 31. Levitici*, Novarinus *in Agno, l. 5. c. 8.* & 10. In ipsa etiam qualiquali Gentilium religione a Sacerdotio, & sacrificando corpore vitiati arcebantur; apud Romanos enim mutilati, sive, ut Tacitus ait, corpore multati, ad sacra non admittebantur. Pulchre Seneca. *l. 4. controv. 2.* ibi: *Lex, Sacerdos integer sit. Thomas Metellus Pontifex, cum arderet templum Vestæ, dum Palladium rupit, oculos perdidit, sacerdotium illi negatur.* Et statim: *Sacerdos non integri corporis, quasi malè animo res vitandus est. Hoc in victimis notatur, quanto magis in Sacerdotibus post Sacerdotium magis observanda debilitas.* Consentiunt Dionysius Halicarnasseus *l. 2. c. 3.* Cælius Rhodigin. *l. 12. antiquit. c. 2.* testatur etiam Plutarchus *problemate 22.* Augures ulcus habentes, augurandi causa sedere prohibitos esse. Rationem reddit in illis verbis: „ An & „ hoc signum est, non oportere, qui morbum aliquem, aut „ ulcus, & perturbationem in anima haberent, res divinas „ tractare: sed tum Deorum mentem hominibus prodere, „ cum & liquido, & integro animo essent? An illud ratio„ nem habet, si neque victimam sanandi ulceris causa quis„ quam adhiberet, nec avibus ulceratis ad auspicandum u„ teretur, ea multo magis in seipsis servanda existimasse, „ ut ad ea, quæ a Diis significarentur, pari, & integri ac„ cederent? Ulcus enim diminutio quædam, & pollutio cor„ poris videtur. „ Et Gellius *l. 1. noctium, c. 12.* refert, apud Romanos fas non fuisse virginem Vestalem capi, quæ lingua debili, fenestra, auribus diminuta, aliave corporis parte mutila esset. Existimabant enim antiqui ex parvo corpore non argui bonum animum. Strobæus *serm. 1.* ibi: *Nec quod deforme est, caret suspicione.* Sicut e contrario ex gratiori aspectu pulchram virtutem esse autumabant, juxta illud vulgare.

Gratior est pulchro veniens in corpore virtus.

Plura ex Philosophis, Historicis, & Consultis referunt, & congerunt Balduinus *in notis ad panegyricum Pacati, pag. 27.* Simon Majolus *dier. canicul. pag. 888.* Marquez *in Gubernatore Christ. l. 1. c. 3. §. 2.* Bobadilla *l. 1. polit. c. 8. per totum*, Adrian. Junius *c. 1. polit. q. 21.* Pet. Greg. *l. 7. de repub. c. 6.* Tirraquell. *in l. 2. connub. n. 59.* Borellus *l. 1. de Magistr. c. 3. a n. 26.* Theophilus Raynaud. *c. 4. de vitiis & virtutibus fol. 354.* unde apud Athenienses eligendi in Reges egregiam corporis formam obtinere debebant, ut refert, & probat Samuel Petitus *ad jur. Attiicum l. 3. tit. 2. p. 239.* Quod & a Persis observatum fuisse probat Balduinus *ubi sup.* & apud Romanos in militibus eligendis, corporis dotes, præcipue proceritas, attendebatur, unde frequens militaris staturæ mentio *in l. quisquis 9. C. Theod. de desert. l. nunquam 13. eod. C. de diversis officiis, l. penult. eod. C. de veteranis, l. filios 8. C. de filiis militum, l. eorum 5. eod. C. de re militari, l. 3. eod. C. de tyronibus*, ex Lampridio, & aliis observarunt Philippus Gamerarius *centuria 2. c. 3.* & 5. Furnerius *l. 5. rerum quotid. c. 19.* Steubechius *in notis ad Vegetium de re milit. l. 1. c. 5.* Gothofredus *ad tit. C. Theod. de tyron.* Savarus *ad Sidonium l. 1. ep. 2.* Etiam in Ecclesia jam ab ejus primis sæculis statutum legimus, ut corpore vitiati, aliquave parte mutilati, a sacris ordinibus arceantur, ea distinctione adhibita, ut si propria voluntate, aut culpa, aliqua parte corporis, etiam occulta mutilati reperiantur, ordinari non possint, quam partem sequenti commentario illustrabimus: si autem absque culpa propria vitiati corpore reperiantur, duobus casibus irregulares fiunt. Primo si carent corporis parte, aut illam debilem habent, quæ necessaria est ad ministrandum in Ecclesia in gradu suscepto, vel suscipiendo. Secundo si membri defectus ita ordinandum deformem reddat, ut sine scandalo ministrare non possit. Duplex ergo causa inducit irregularitatem ob corporis vitium. Prima impossibilitas ministrandi ob defectum, aut debilitatem membri: secunda insignis deformitas, ob quam sine populi offensione ministrare non potest; quas explicant, & varios casus quotidie contingentes resolvunt I. Dartis *de beneficiis d. c. 3.* Gibalinus, & Majolus *ubi sup.* Paulus Zacchias *l. 10. cons. c. 35.*

7 Ratio decidendi.

Ex quibus apparet vera decidendi ratio ad textus *in d. c. 1. 6. & ult. hoc tit.* nam cum ille, qui partem digiti amisit, in specie textus *in d. c. 1.* ea parte corporis vitiatus esset, quæ nec defectum ad celebrandum, neque scandalum ex eo, quod ministrasset, possit generare, recte decidit Alexander, in susceptis ordinibus eum ministrare posse, quia nullam irregularitatem ex tali mutilatione Presbyter contraxit. Similiter qui tantum pollicis ungulam avullam habet, sed tamen digitum potentem ad frangendam hostiam, neque ex ea avulsione aliqua deformitas sequitur, recte decidit *in c. fin. hoc tit.* posse cum sacris ordinibus initiari. Etiam cum habens maculam in oculo, non caret facultate celebrandi, neque ideo deformis remanet, non inde incurrit irregularitatem: & ita *in d. c. 2.* & in omnibus his casibus, cum nec defectus, nec debilitas membri detur, nec alia juris deformitas nascatur, non incurritur hæc irregularitas ex corporis vitio: inde etiam cum in specie textus *in d. c. exposuisti 11. hoc tit.* promovendus in Abbatem carnisset sinistra manu, & per consequens parte corporis necessaria ad celebrandum, ideo irregularis ob corporis vitium declaratur.

8 Dissolvitur difficultas.

Nec difficultas supra pro dubitandi ratione adducta adversatur; nam licet Ecclesiæ Patres in ministris Ecclesiæ ad ordines promovendos bonæ mentis frugem, indolem probam, aliasque virtutes præscripserint, integritatem etiam corporis, recte expostulant ob rationes supra adductas; neque alias corpore vitiati, etsi virtutibus polleant, nisi cum eis Pontifex duxerit dispensandum, ordinari possunt, ut dispensasse credimus in casibus relatis a Theophilo *in Opuscuh. de calumnia, ubi supra.* Nec primum argumentum ipsius difficultatis refragatur: nam certum est, cæcum, id est, utroque oculo, seu lumine orbatum, irregularem ex defectu partis essentialis, *c. hinc enim, 49. d.* licet si jam promotus vitum amiserit, possit prædicare, absolvere, & alia similia munia obire, ut de Damo refert Baronius *anno 371.* Similiter uno oculo carens ordinari non potest, *c. sin. 55. d.* resolvunt, Molina, Navarus, & Sylvester relati a Gibalino *d. c. 3. consect. 1.* Nec tunc obstat textus *in d. can. 76. Apost.* nam omissa eorum sententia, qui existimarunt, eum canonem apocryphum esse, dicendum est, oculo privatum, aliunde dignum, in Episcopum ordinari posse, ex speciali dispensatione: quo casu exaudiendos esse Apostolos *in d. can. 76.* docet Dartis *de beneficiis, c. 3. sect. 4.* Nec aliud augmentum dubitandi rationis, deductum *ex d. c. qui partem*, refragatur: nam ille textus est accipiendus de eo, qui amisit partem digiti ad celebrandum non necessariam, aut cum ex ejus defectu insignis deformitas non sequebatur; alias enim si partem digiti ad fractionem hostiæ necessariam amisisset, aut partem, cujus defectu sine populi offensione celebrare non poterat, ordinari non posset, *ex c. 1. & ult. hoc tit.* licet si eam partem casu amisisset post ordinationem, etiam in aliis Ecclesiasticis officiis posset ministrare, *c. 2. de cler. ægrot.* quod ita intelligendum est, & conciliandum cum dicto capite *qui partem.*

9 Exponitur textus in can. 77.

Primo huic assertioni obstat textus *in can. 77. Apost.* in illis verbis: *Qui vero mutus surdusque, & cæcus est, Episcopus non efficitur, non quia obleso corpore est, sed ne ecclesiastica impediantur munia.* Ex quibus expresse constat, mutum, surdum, aut cæcum non posse in Episcopum ordinari, non quia oblæsum corpus habeat, sed ne impediantur Ecclesiæ munia: igitur quia corporis vitium per se non inducit irregularitatem. Cui difficultati satisfaciendum est asserendo, mutum, surdum, & cæcum ordinari non posse, non quia defectus illi deformitatem inducunt; sed quia defectum sensus patiuntur ad celebrandum necessarii; quasi dicant Apostoli; Sardus, mutus, & cæcus ordinari non possunt, non quia oblæsum corpus habeant, id est deformes sint: sed quia propter defectus visus, auditus, & loquelæ ecclesiastica impediuntur munia. Consentiunt enim Apostoli in irregularitate ex corporis vitio; sed juxta supra dicta affirmant, in muto, cæco, & surdo; non ex deformitate, sed ex corporis defectu eam oriri. Hunc tamen canonem ignoratum fuisse primis Ecclesiæ sæculis, docet Rouffelius *l. 1. hist. juris Pontif. c. 4. n. 6.*

10 Exponitur textus in c. communiter 33. dist.

Secundo adversus præsentem assertionem expendi potest textus *in c. communiter, 55. d.* ubi qui ob infirmitatem corporis in terram cadunt, transacto anno ordinari possunt. Ex qua decisione constat, corporis vitium non inducere irregularitatem, sive deformitas ex eo sequatur, sive defectus inducatur. Augetur hujus textus difficultas *ex c. maritum, eodem d.* ubi in ipsa specie contrarium statuitur, videlicet eum, qui aliquando in terram cecidit, ordinari non posse. Pro quorum jurium conciliatione sciendum est, obsessos a dæmonibus, & arreptitios, quos vulgo dæmoniacos appellamus ordinari non posse, *c. maritum, c. clerici, 33. d. can. 78. Apost.* Concil. Tolet. 2. *can. 3.* Aurafic. *can. 13.* Docent Barbosa *l. 1. juris eccl. c. 33. n. 148. & de potest. Episc. alleg. 42.* Torreblanca *l. 3. de juris spirit. c. 8.* Cresperius *in summa, verbo Arreptitii*, Suarez *de censur. disp. 51. n. 94.* Coriolanus, Balsamon, & Zonaras *in dist. can. 78.* Mendoza *l. 2. Concil. Illiberit. c. 59.* Valenzuela *cons. 25. n. 2.* Isti enim insani sunt, & immundi, magnumque scandalum in populo sequeretur, si vexatus a dæmone, ad sacrificandum admitteretur, ut confiderat post alios Gibalinus *de irreg. c. 3. consect. 9.* Ab hac tamen vexatione liberati, si in eis nulla arreptio timeatur, arbitrio Episcopi relinquitur, quando possint ad ordines ascendere. Barbosa *d. alleg. 42.* & si post ordines suscepto clerici vexati fuerint, suspenduntur ab exercitio ordinis; postea tamen liberati, transacto anno ministrare poterunt, *d. c. communiter*, qui non Pii Pontificis est, ut vulgo traditur, sed Concilii Tolet. 11. *can. 13* quia tunc corporis vitium non datur, neque in defectu, neque in deformitate. Neque contrarium probat textus *in d. c. maritum*, qui falso tribuitur Gregorio, cum adductus sit *ex c. 32. libelli de eccl. dogmatibus*, qui ab aliquibus tribuitur Augustino, ab aliis Alcuino, ab aliis tandem Isidoro. Sed verius est esse Gennadii, ut docent D. Thomas *quodlibeto 12. artic. 10.* in Platina *in vita Symmachi*, Suarez *de rebus Ecclesiæ.* Quibus suppositis, omissa solutione Gratiani *in cap. fin. vers. Nec enim, 25. qu. 1.* qui asserit eum, qui aliquando insanivit, ordinari non posse, dicendum, est textum illum procedere eo casu, quo ex vexatione aliqua infamiæ nota remanebat, aut suspicio offensionis; quo casu etiam liberatus a vexatione, ordinari non potest. Nisi dicatur, textum illum auctoritate canonica destitui, cum tantum sit Gennadii, ut supra observavi. Nec enim obstat textus *in c. clerici, 33. d.* ubi asseritur, quod clerici, qui in adolescentia fuerint a dæmonibus vexati, ad superiorem gradum non promoveantur: igitur qui semel vexatus, & obsessus, etsi postea liberatus sit, ordinari non valebit. Cui difficultati ut satisfaciant Glossa, & Archidiaconus ibi, asserunt, tantum in eo textu prohiberi vexatis a dæmonibus ascendere ad majores gradus; non vero in minoribus ministrare. Sed hæc solutio retellitur ex canone 16. Concilii Arausicani 1. ubi generaliter prohibetur energumenis ad clericalem ordinem ascendere: deinde ex c. 19. Concilii Illiberit. & ex canone 9. & 91. Concilii Carthag. 4. Quare hac solutione omissa dicendum est, in eo textu non negari, quod si clerici in ipsa adolescentia a vexatione diaboli liberati sint, possunt ad gradus omnes promoveri: tantum enim cum consultus fuisset Nicolaus de adolescentibus vexatis afflictione diaboli, respondit ipsos ita in adolescentia vexatos ordinari non posse, videlicet quamdiu vexantur: præpositio enim *in*, si adjungatur ablativo, intelligitur intra illud tempus: unde idem est in anno quod intra annum, *l. si ita 41. §. Labeo, ff. de manumiss. testam.* Barbosa *de dictionibus, dict. In, n. 21.* unde verba illa *in adolescentia obsessi*, idem important, ac *intra adolescentiam obsessi*; ita ut si liberati sint, etiam in ipsa adolescentia possunt sacris ordinibus initiari.

CAPUT III.

Clemens III. a *Varinen. Episcopo.*

EX parte Bartholomæi monachi, & diaconi peritorium fuit nostro Apostolatui præsentatum, quod cum ipse in *b* cunabulis sectus fuerit, postmodum sub *c* regula & Abbate devote Deo militans, in Diaconatus ordinem est prómotus. Unde suppliciter petit facultatem sibi a Sede Ap. indulgeri, ut sit ei licitum in Presbyterum ordinari. Non vero attendentes, quod secundum statuta *d* Nicæni Concilii illi ad Diaconatus ordinem accedere prohibeantur, & si etiam in Clero fuerint, cessare debeant, qui se *e* ipsos sani abscideriint, vel affectaverint ut ab aliis abscindantur: non credimus ei aliquod impedimentum afferre, quominus provehi possit, qui in cunabulis sectus fuerit, quia non videtur hoc eo tempore affectasse, quo judicium animi non habebat: præsertim cum canonibus *f* Apostolorum sit manifeste sancitum, quod si eunuchus sit per insidias hominum factus, vel ita natus sit, aut etiam in persecutione sint amputata ei virilia, & dignus sit, fieri Episcopus possit. Cognoscenti itaque tibi de substantia *g* veritatis, si precibus ejus noveris veritatem inesse, & alias dignus inveniatur, maxime cum diu in ordine perseveraverit *b* monachali, ipsum in Presbyterum promovendi licentiam auctoritate præsentium indulgemus.

NOTÆ.

1 a *Varinen.*) Ita etiam legitur *in c. 1. hoc tit. in 2. collect.* de qua Ecclesia egi *in c. eo libentius 6. de sponsis non ordin.*

b *Cunabulis.*) Cunabula sunt infantiæ panni, & etiam dicuntur panni illi, quibus mortui sepeliendi involvantur; quomodo apud Joannem CP. Episcopum legitur Lazarum in monumento cunabulis involutum fuisse; notat Cujacius *in c. 4. de desponf. impub.* unde cum aliquid contingit in primis illis infantiæ annis, dicitur contigisse in cunabulis, *c. litteras 4. de desponf. impub.* Quare Bartholomæus, qui in primis infantiæ annis sectus fuit, in hujus textus specie dicitur sectus in cunabulis.

c *Sub regula & Abbate.*) Recte; nam sine eis non datur vera professio, ut docent Benedictus Hæphtenus *t. 1. disquisit. monast. l. 4. tr. 7.* Stephanus Durantius *qq. juris q. 7. & 9.* Fragoso *2. p. de regim. Christ. Rep. l. 1. §. 9.*

2 d *Nicani Concilii.*) Primi videlicet, quod celebratum fuit temporibus Sylvestri Pontificis, & Imperatoris Constantini in civitate Nicæa, urbe Bithyniæ, anno 325. Præside Osio Cordubensi Episcopo, Apostolicæ Sedis Legato, ut referunt eam Synodum miris extollentes laudibus post ejus notatores Bucherus *in Belgico-Romano, fol. 269.* Pater Serlogus *t. 3. in Canonica, vest. 29. fol. 194.* Cabassatius *in notit. Concil.* In eo post damnatam hæresim Arrianam, & alia pie statuta, sanciti fuerunt varii canones, quos ex Pisano, & Turriano referunt Baronius, Bignius, & Coriolanus. Et hac primo canoni occasionem dedit Leontius Presbyter, qui accusatus de incontinentia cum quadam puella, & iussus abstinere ab ejus contubernio, seipsum castrandum præbuit ut liberius cum feminis commisceri posset: neque ita tamen suspicionem eluere potuit, quominus cum Presbyter esset, deponeretur, ut referunt Socrates *l. 2. historiæ, c. 21. Leontius cum Presbyter esset, eo dignitatis gradu privatus est, quod genitalia sibi exsecuisset.* Theodoretus *l. 2. c. 24.* Athanasius *in apolog. contra illos qui se castraverunt*, D. Basilius *in opuscul. de vera virgin.* Qui cum postea Arrianis se junxisset, eorum factione sub Constantino Sedem Antiochenam invasit: ex Theodoreto refert Justellus *in notis ad can. 1. Concil. Nicæn.*

3 e *Qui se ipsos.*) Verba sunt canonis primi Concilii Nicæni, quæ etiam referuntur a Carnotensi *p. 6. Decreti, 374.* Gratiano, *in c. si quis a Medicis 7. 55. d.*

f *Apostol.*) Can. 20. *Si quis humana violentia eunuchus factus est, aut in persecutione amputata ei sunt virilia, aut ita natus fuit, & dignus est, efficitur Episcopus.*

g *Veritatem.*) Alias litteræ ipso jure nullæ essent, juxta adducta *in c. super litteris, de rescript.*

4 h *Monachali.*) Non quia ingressus monasterii, seu professio in eo purgaret hanc irregularitatis speciem, sed quia si vere contracta esset, faciliorem redderet dispensationem, juxta adducta *in c. 1. de filiis Presbyterorum.*

CAPUT IV.

Clemens III. a *Raven. Archiepisc.*

SIgnificavit nobis R. Archipresbyter sancti Stephani de Longasco, quod R. Presbyter credens se obsequium præstare Deo, sibi fecit virilia amputari: sed cum idem Archipresbyter sit senectute gravatus, nec *b* relinquere va-

leat Presbyterum memoratum, nobis humiliter supplicavit, ut ei concedere debeamus ea, quæ præter Missam ad sacerdotem pertinent, *c* ministrare. Quocirca mandamus, quat. inquiras diligenter veritatem, & si jam dictum Presbyterum alias *d* dignum inveneris, ei sacerdotale ministerium absque omni altaris ministerio, auctoritate nostra fretus, & *e* tua, prout videris expedire, concedas.

NOTÆ.

a *Aven.*) Ita etiam habetur *in c. 2. de clerico ægrotante, in 2. colleg.* ex qua restituendus est præsens textus. Reciribit Clemens III. in præsenti Vvidoni Archiepiscopo Ravennat. qui electus fuit in Præsulem ipsius Ecclesiæ anno 1182. & sub nostro Clemente III. Legatus a Latere missus bellum sacrum contra Saracenos nuntiavit, & promulgavit, ut refert Ughellius *in Italia, in Ecclesia Ravennat. n.* 80. De ipsa Ecclesia nonnulla adduxi *in capit. si quando 5. de rescriptis.*

b *Relinquere valeat Presbyterum.*) Ut vicarium suum, aut coadjutorem, ut permittitur *in c. 1. & 2. de cleric. ægrot.* unde præsens textus non improprie compilatus fuit sub titulo *de cleric. ægrot. in 2. colleg.*

c *Ministrare.*) Ut baptizare, sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis conferre, matrimoniis adesse, & alia similia.

d *Dignum.*) Cum enim per ignorantiam fecisset, existimans se Deo præstare obsequium, mitius cum eo agitur.

e *Tua.*) Glossa in præsenti docet, in hoc casu Episcopum posse dispensare; & recte. Nam cum pars abscissa esset occulta, & abscissio absque culpa contingeret, Episcopus dispensare valebat. Miranda *in manuali, t. 2. q. 8. art. 3.* quid quid sentiat Barbosa *de potest. Episc. alleg. 42. num.* 27. Nec contrarium suadent verba præcedentia, *auctoritate nostra fretus*; nam per ea verba tan um excitatur jurisdictio propria Episcopi, non nova conceditur: quia quoties aliqua committuntur ordinariis judicibus, quæ illis competunt, non delegata, sed ordinarii judices manent, excitata eorum jurisdictione, ut dicemus *in capit. licet, cap. grave, de officio ordin.* Michael Rouselius *l. 1. historia Pontif. jurisd. cap. 4. num.* 5. credit Episcopum posse dispensare cum eunuchis casu, aut necessitate factis; Pontificem cum voluntariis, quia qui se abscidit, creditur sui homicida.

CAPUT V.

Idem a *Pavienſi Epiſcopo*.

EX parte dilecti filii Michaelis Presbyteri fuit in audientia nostra propositum, quod cum sibi sentiret lepræ periculum imminere, de consilio medici virilia sibi fecit *b* abscindi, ut posset a tam gravis infirmitatis vitio liberari: & ut provideremus ei super executioni sui officii, a nobis humiliter postulavit. Quoniam igitur *c* canones Sanctorum Patrum hujusmodi a sacris altaris administratione non prohibent, fr. t. per A. s. m. quat. si ita se rei veritas habet, & memoratus M. est alias idoneus, ut sui officii ministerium exequatur, nullius contradictione, vel ap. ob. auctoritate fretus Ap. liberam ei tribuas facultatem.

NOTÆ.

a *Pavienſi.*) Ita legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. c. 1.* quæ inscriptio si retineatur, referenda est ad Ecclesiam Pavientem, quæ est in Ecclesia Orientali, cujus Episcopus Thalassius subscripsit in Concilio Chalced. sed in editione epistolarum Innocentii III. facta Coloniæ, *fol.* 8. legitur *Parisiensi*, de qua Ecclesia nonnulla adduxi *in c. fin. de rescriptis.* Retinendam tamen esse inscriptionem, *Parisiensi Episcopo*, & in hoc textu rescribere Innocentium Odoni, docet novus Notator Petri Blesensis *ad ep. 126.* ubi ejus præclara refert gesta.

b *Abscindi.*) Quæ abscissio certissimum præstat remedium lepræ curationi, ut docent Galenus *l. 3. comment. l. 3. Hippocratis*, Archigenes *l. 13. c. 125.* ibi: *Neque enim temere reperias ullum aliquem castratum elephantiasi laborasse.* Rationem tamen, qua id confirmat Archigenes, refellit Mercurialis *l. 3. var. c. 20.* addens legitimam rationem, quod elephantiasis præcipue oriatur ex caliditate, & siccitate, tum jecoris, tum universi corporis: quæ causa est, cur lepra in Ægypto fit admodum familiaris. Cam ergo eunuchi sint frigidi & humidi, mirum non est, quod non sint facile obnoxii lepræ, alterive ulli morbo, cujus origo sit calor & siccitas. Et remedium hoc lepræ esse valde usitatum constat ex Lucretio:

Et graviter partim metuentes limina lethi,
Vivebant ferro privati parte virili.

Et poeta:

Necnon infelix ferro truncata juventus,
Atque exsecta virum.

Illustrant Theophilus Raynaud. *t. 14. tr. de triplici eunuchismo, c. 3. n. 6.* Juretus *in notis ad ep. 231. Carnot.*

c *Canones.*) Videlicet canon 20. Apostol. *c. si quis in agritudine, c. si quis a Medici, 55. d.*

COMMENTARIUM.

3 Conclusio refertur, & probatur.

IN his tribus decisionibus agitur de eunuchis natis, vel factis propria manu, vel ab hominibus; & ut ea suo commentario complectamur, sequentem ex eis deducimus assertionem: *Qui in eunuchis, aut a Medicis castratus, seu abscissus fuit, ordinari valet; non vero qui propria voluntate ab alio, vel a se ipso sectus est, etiamsi ob servandam castitatem id fecerit.* Probant eam texrus *in can. 20. 21. & 22. Apost. c. maritum, 33. dist. c. fin. 51. dist. c. si quis abscidit 4. c. hi qui 5. c. qui partem 6. si quis a Medis 7. c. si quis in agritudine 8. c. si quis in infirmitate, cum sequent. 55. dist. c. tunc 23. q. 5. c. qui sitit 33. q. 5.* Concilium Arelat. 2. *can. 7. Si qui se, carnali vitio repugnare nescientes, abscindant, ad Clerum pervenire non possunt.* Synodus Costantinop. *can. 8.* apud Balsamon. Triburiense Concil. *can. 3.* Consonat lex 23. *tit. 6. p. 1.* Alia juris testimonia congerit Anton. Aug. *in epit. juris, l. 4. tit. 11. & l. 27. tit. 21.* Illustrant ultra congestos a Barbosa *in præsenti, & de potest. Episc. alleg. 42. n. 13. & l. 1. juris eccl. c. 33. n. 141.* Acunna & I. Dartis *in 55. dist.* Amaya *l. 3. observ. c. 6. ex n. 44.* Olanus *l. 3. Paralip. c. 10. ex n. 34.* Ballamon *in d. can. 8. Synodi Constantinop. & in Nomocan. Photii, tit. 5. c. 14. & in can. 1. Concil. Nicæni*, Baronius *anno 230. & 231. n. 5. & 353. n. 44.* Robertus *l. 4. rerum judic. c. 10.* Theophilus Raynaud. *tom. 14. tr. de triplici eunuchismo, c. 3. §. 6.* Claudius Espenceus *l. 5. de voto, c. 12.* Filesacus *l. 1. select. c. 12.* Vighellius *in methodo juris can. pag. 247.* Tondutus *resolut. canon. c. 9.* Lantdmeter. *l. 2. de veteri monach. c. 14. & 23.* Pamelius *in notis ad D. Cyprianum, ep. 62.* Germonius *l. 3. de sacrorum immunit. c. 3.* Juretus *in notis ad Carnot. ep. 83.* Ramirez *in Pentecont. c. 4.* Spondanus *in epit. Baronii, anno 730. n. 2.* Mendoza *q. 4 posterior*, Saussay *in Panopl. cleric. 1. p. c. 5. §. 8.* Severinus Binius, Coriolanus, & Zonaras *in d. can. 10. Apostol.* Paulus Zacchias *l. 2. qq. tit. 3. q. 7. & l. 8. tit. 1. q. 6.* Justellus *in can. 1. Concil. Niceni*, Rousselius *in historia jurisd. Pontif. l. 1. c. 4. n. 5.* Corrasius *de beneficiis p. 3 c. 6.* Petrus Herodius *l. 1. Pandect. c. 14.* Duarenus *l. 4. de sacris Ecclesiis, c. 3.* Gothofredus *in l. 4. §. cum; ff. de re milit.* Petrara *de litteris, c. 7.* plures Moralistæ relati a Diana *p. 10. tr. 13. resol. 11. & p. 11. tr. 1. resol. 23.* Gibalinus *de irregul. c. 3. q. 4. consel. 4. nu. 12.* Christ. Lupus *in can. 1. Concil. Nicæn.*

Sed adversus primam partem hujus assertionis, quatenus in ea docetur sectum in cunabulis, vel a Medicis eunuchizatum, ad sacros ordines admitti posse, insurgitur in hunc modum. Eunuchi quomodoliber facti, non debent ad sacros ordines promoveri, ut *in c. 23. Deuteron.* cautum legimus his verbis: *Non intrabit eunuchus attritis, vel amputatis testiculis, & abscisso veretro, Ecclesiam Domini.* Quod & apud Romanos observatum fuisse testatur Cælius Rhodigin. *l. 7. antiq. lect. c. 2.* imo M. Sergium orationem in Senatu habuisse, ut a sacris omninino arcerentur, refert Alex. ab Alex. *l. 6. dierum genial. c. 14.* & ob illum defectum Metello denegatum fuisse Sacerdotium, constat ex Seneca *in ipso*, & tradit Stuchius *de sacrificiis Gentil. pag. 68.* nec solum a Sacerdotio, verum & ab omnibus honoribus & dignitatibus arcebantur eunuchi apud eos; militiæ enim nomen dare non poterant, *l. qui cum uno, ff. de re milit. l. 8. C. Theodos. de tyronibus*, Vegetius *l. 1. de re milit. c. 7.* Ad studium litterarum non admittebantur, Lucianus *in Eunucho*, Savarus *ad Sidonium l. 1. ep. 8. verbo Litteris*; quare non modicam inter eos contentionem concitavit Eutropii eunuchi ad Consulatus fastigium evectio. Claudianus *in Eutropio.*

Omnia cessarunt eunuchio Consule monstra,
Heu, cœli, terraque pudor!

Plura de Eutropio, & ejus fine D. Josephus de Retex *de interdictis, l. 3. c. fin.* imo vilissimis ministeriis, & quod nefas est, libidini potentiorum deservisse, plurima Poetarum, & Historicorum monumenta testantur. Martialis *l. 9. epigr. 7.* Juvenalis *satyra 10.* & innuit textus *in l. 3. §. qui in alio ff. ad leg. Cornel. de sicar.* plura D. Franciscus de Amaya *l. 3. observ. c. 38. & 43* Suarez *ad leg. Aquil. l. 2. c. 3. sect. 6.* igitur si ita eunuchi abjecti sunt, non debent ad sacros ordines admitti, cum in ordinandis ultra morum honestatem, quædam claritas, vel decentia personæ desideretur D. Thomas *in 4. d. 25. q. 2. art. 2. & ex eo docet* Suarez *de censur. disp. 51. sect. 3. n. 1.* Secunda etiam assertionis pars, ubi asseritur abscindentem semetipsum aliqua corporis parte etiamsi pro servanda castitate faciat, irregularem esse, non levem patitur dubitandi rationem ex eo; nam unicuique licet naturaliter in suum corpus sævire, *l. sed si 9. §. si ipse servus; ff. de peculio*; quia cum homo sit usufructuarius vitæ; & usufructuarius posit arboris ramos decer-

decerpere; ita & homo corporis proprii membra amputare potest, ut in specie ratiocinatur Joannes Caramuel *in Theolog. fundamen. fundam. 55. §. 9.* sed qui jure suo a natura præcipue concesso utitur, puniri non debet, *l. si præses 32. ff. de pœnis*: igitur qui se abscidit, aut virilia amputavit, nullam exinde irregularitatem contrahit. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo nam licet hæc abscissio ex aliis causis contingens injusta videri possit, tamen ob servandam castitatem, licitam, permissamque esse probatur auctoritate, & exemplis. Auctoritate sacræ paginæ *Matthæi, c. 19.* ibi: *Beati qui se castraverunt propter regnum cœlorum.* Et Marci *c. 9. Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te: & si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te.* Exemplis Origenis, qui se castravit, ut servaret castitatem, ut refert Eusebius *lib. 56.* Leontii Antiocheni, cui idem accidit, referente Theodoreto *l. 2. historia c. 24.* duorum monachorum Ægypti, de quibus in vitis Patrum, *d. 2. c. 172.* quæ refert Zerda *in adversariis, c. 128. n. 17.* ergo qui se abscidit, aut eunuchizavit, non inde irregularitatem contrahit.

5 De eunuchis, & eorum dif ferentiis.

Quibus difficultatibus minime obstantibus vera est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, omissis eunuchorum, spadonum, castratorum, & eviratorum differentiis, quas referunt, & exponunt Pancirola *l. 2. variar. c. 275.* Balsamon *in can. 24. Apost.* Theophilus Raynaud. *t. 14. tr. de triplici eunuchismo, in Prælusione*, Paulus Zacchias *l. 2. qq. Medicolegal. tit. 3. q. 7.* eunuchorum duo esse genera, natos & factos, quamvis pauci omnino nascantur cum hoc defectu, ut observat apud August. Auctor quæstionum ex utroque Testamento, *q. 116.* sunt tamen aliqui, inter quos Dorotheum Antiochiæ Episcopum fuisse refert Eusebius *l. 7. c. 32.* per hæc verba: *Dorotheum Primatu Antiochenæ Ecclesiæ insignitum cognovimus. Erat autem natura eunuchus, ita ex ipsa nativitate comparatus.* De quo plura Theophilus *d. tract. de triplici eunuch. c. 2. §.* Eunuchi facti dicuntur, qui ab hominibus evirati sunt variis ex causis: aut causa medelæ, juxta supra tradita: aut in pœnam delicti admissi, juxta infra dicendi, & congesta in *cap. significasti, de homicidio*: aut causa mercimonii, seu negotiationis. Frequentem olim, & quæstuosam fuisse eunuchorum nundinationem, constat ex Herodoto *l. 8.* & Lactantio *de opificio Dei, c. 13.* Quintiliano *l. 5. instit. c. 12.* qui meminit mangonum, & venalitiorum istorum, qui formæ puerorum excisa viritate lenocinabantur, erantque servi eunuchi pretiosiores: quare Ulpianus *in l. ita 27. §. & si, ff. ad legem Aquil.* ait: *Si puerum quis castraverit, & pretiosiorem fecerit, Vivianus scribit, cessare Aquiliam.* Et Justinianus plurimi æstimat servos eunuchos, quam alios *in lib. 3. C. communia de legat. l. 1. §. 6. C. de communi servo*: & Constantinus *in l. 2. C. de eunuchis*, permittit facultatem emendi, & vendendi eunuchos barbaræ gentis extra Romanum Imperium factos. Causas, ut pretiosiores crederentur eunuchi, refert & illustrat Gibalinus *tom. 1. de negot. lib. 1. c. 4. art. 3.* Sed cum hæc abscissio Deo, & naturæ injuriosa sit, ut eleganter expressit D. Ambrosius *l. 5. in Hexab. c. 3. sub finem*, his verbis; *Tollis homini quod natus est, & virum de viro exuis, abscissaque corporis parte, sexum negas, spadonem efficis, ut quod negavit natura in hominibus, impleret audacia.* Tam legibus civilibus, quam ecclesiasticis hujusmodi exsectio, nisi ad vitæ conservationem, aut in pœnam admissi delicti, prohibita est. Doctores tamen, præcipue Theologi Moralistæ, disputant, an hujusmodi abscissio ob vocis suavitatem ad concentus sacros, quibus isti evirati passim adhibentur, licita sit. Et Salon 2. 2. *q. 6. controv. 2.* Trullench *l. 5. in Decalog. c. 2. dub. 4. n. 4.* Sayrus *l. 7. clavis, c. 9. n.* 38. Mendoza *in l. 1. Regum, c. 8. vers. 15. n. 9.* Pasqualigus *decis.* 498. & *in qq. can. cent. q.* 10. honestam esse hanc evirationem docent, si duo concurrant. Primum, ut pueri qui exsecantur, sui juris sint, & polleant usu rationis, atque comoda, incommodare, quæ inde consequentur, percipiant, & suæ exsectioni consentiant. Secundum, ut sine periculo vitæ fiat exsectio. Verum contrariam sententiam defendunt alii, quos referunt, & sequuntur Barbosa *in cap. si quis abscidirit, 55. dist.* Lugo *disp. 10. num.* 21. Thomas Hurtado *tom. 2. resol.* 38. *n. 758.* Diana 3. *p. tract. 5. resol.* 38. & *p. 6. tract. 8. resol.* 16. Theophilus *ubi supra, c. 4. §.* Gibalinus *d. art. 3. de negot. n.* 14. & merito: nam si ad servandam continentiam, & vitandum damnum spirituale, hujusmodi exsectio non permittitur, quanto magis ob vitandam inopiam, aut lucrum temporale captandum prohiberi debet.

6 Ratio primæ partis assertionis.

Quibus animadversis, tradita assertio rationi juris valde consona est; nam prima pars, quæ asserit sectum in cunabulis a Medicis, vel in persequutione, ordinari posse, ea nititur ratione; nam cum ille nec fecisset, neque affectasset hujusmodi abscissionem: & pars abscissa neque deformitatem, neque defectum, aut debilitatem ad celebrandum inducat, non est ratio, quare incurratur irregularitatis pœna, ubi nulla culpa adfuit. Creaturam enim Dei refingit, & naturæ insidiatur, qui evirat; sed naturæ succurrit, nec legi subjicitur, qui propter morbum id facit. Imperator *Leo novella 60. & 98.* ex qua ratione infertur, eum qui sua culpa castrari se passus est absque propria voluntate, irregularitatem non contrahere, licet contrarium communiter doctores sentiant: pro cujus ampliationis expositione sciendum est, inter alias pœnas pro varietate delictorum a diversis gentibus statutas, castrationem ab aliquibus inflictam esse, ut furto *in c. tua, §. fin. de homicidio*: adulterio *ex lege Julia de adul.* Brissonius *ad ipsam legem, verbo Viro deprehensa.* D. Laurentius Ramirez *ad Martialem lib. 2. epigr. 60.* ad quam pœnam referendus est Plautus *in Milite.*

Ut salvis testibus hodie te mittamus.

Perduellione: Eusebius *l. 8. historia.* Apud Francos frequens hujus pœnæ mentio reperitur; nam apud eos servus, qui quadraginta denarios furripit, castrari jubentur in lege Salica, *tit. 13. de furto, §. 2.* & servus qui cum ancilla mœchatus fuit, castrari præcipitur *tit. 29. de adult.* ejusdem legis, *§. ancilla 6.* refert Lindembrogius *in Glossario, verbo Castraverit.* Etiam culpa alicujus similis mutilatio evenire potest, cum ob accessum ad mulierem quis in morbum incidit abscissione medendum, aut cum ob simile peccatum in adulterio deprehensus, a marito mutilatur, ut in casu relato a Covar. *in Clem. si furiosus, de homicidio, in princ. n. 6.* In his ergo, & similibus casibus verius est, irregularitatem non contrahi, cum nulla abscissio activa, nec directe intenta, sed tantum passiva, & indirecte volita adfuerit. Quis enim dicat furem ob furtum furca suspensum se suspendisse, ex eo quod ob culpam propriam suspendatur. Docet, & hanc opinionem defendit Gibalinus *d. c. 3. pag. 53.*

7 Ratio secundæ partis.

Secundæ partis ratio ea reddi potest; nam cum homo non sit dominus membrorum suorum, *l. liber homo ff. ad leg. Aquil.* & talis abscissio sit occisio partialis illius membri: sicut nemini licet se occidere, ita nec se mutilare. Et ut propius ad decisionem textus *in d. c. significavit*, accingamur, sciendum est, utroque jure, tam civili, quam canonico, varias pœnas statutas esse in eos, qui propria voluntate se castraverunt, aut membra mutilaverunt. Jure enim Cæsareo illi lege Cornelia de sicariis tenebantur, *l. 3. §. idem, ff. ad leg. Corn. de sicar.* ubi Adriani rescriptum reponitur, quo statuitur eos, qui hoc crimine arguuntur, lege Cornelia teneri; quod & prosuit Domitianus, testantibus Svetonio, & Xiphilino *in eodem Apulejo, l. 8. de Asino aureo.* Cui gratulatur Martialis *l. 6. epigr. 2.* ibi:

Lusus erat sacra connubia fallere veste:
Lusus & immeritos exsecuisse viros.
Utraque tu prohibes, Cæsar, populisque futuris
Succurris, nasci quos sine fraude jubes.
Nec spado jam, nec mœchus erit, te Præside, quisquam:
At prius (o mores!) & spado mœchus erat.

Et lib. 9. epigr. 7.

Immatura dabant infandas corpora pœnas:
Non tulit Ausonius talia monstra pater.
Idem qui teneris nuper succurris ephœbis,
Nec faceret steriles sæva libido viros.

Omnique modo eunuchos fieri prohibuit Constantinus *in l. 1. C. de eunuchis*, ubi plura Cujacius, & noster D. Franciscus Amaya: Brissonius *l. 2. select. c. fin.* Inde apud Justinum Martyrem *in Apolog. ad Antonin.* qui se castrare voluit, prius a Prælato Ægypti veniam edicti petiit, ibi: *Libellum Felici Præfecto obtulit, petens, ut medicum sineret testes suos præcidere: hoc enim sine Præfecti permissu fieri nefas esse, medici, qui illic erant, asseverabant.* Adde novellam Justiniani 142. novellam Leonis 60. Evagrium *l. 4. c. 22.* Etiam qui digiti partem sibi ascindebant, ut sic militiæ inutiles redderentur, extra ordinem puniebantur, *l. 4. C. Theodos. de tyronibus, l. 1. eod. C. de filiis milit. l. 4. §. 12. ff. de re milit.* Eos Murcos Romani appellabant. Ammianus Marcellinus *l. 15.* ubi notavit Valesius *pag. 56.* De his Ianoc. I. *ep. ad Julium*, ita scribit: *In his clericos scripsisti, quos constituas non habere aliquos murcos.* Notarunt Gothofredus *in d. l. 4. §. cum 12.* Jacobus ejus filius *in l. 5. C. Theod. de tyron.* Cujacius *l. 15. observ. c. fin.* A pollicis truncatione eos Itali *poltrones*; dicebant, ut ex D. Francisco *l. 1. opusc. pag. 94.* probarunt Meursius *in exercit. criticis, p. 2. c. 2. pag. 67.* Cujacius *d. l. 15. observ. c. 40.* Savarus *ad Sidonium l. 1. ep. 2.* D. Laurentius Ramyrez *in notis ad Luitprandum, in chron. pag. 315.* Jure nostro canonico, qui se mutilavit, per triennium a communione ejicitur, *can. 23. Apost.* ubi Zonaras, & Coriolanus. Menardus *ad D. Gregorium, fol. 255.* Juste ergo deciditur *in d. cap. significavit*, seipsum abscindentem, aut eunuchizantem, ordinari non posse, tamquam sui homicidam. Hinc damnandi veniunt sacerdotes Deæ Cybeles, five matris Deorum, Gallice *Corybantes* dicti, qui inter nefandas libidines, quas non fine rubore describunt D. Aug. *l. 7. de civit. Dei, c. 26.* Apulejus *l. 8. Milesiarum*, sua membra amputabant, ac se castrabant. Arætaus Medicus relatus a Mercuriale *l. 3. variar. c. 15.* ibi: „ Sunt qui membra sibi ipsis amputant, „ tamquam Diis propriis ea repetentibus gratam rem pia co„ gitatione facturi: atqui insania hujusmodi in opinione dum„ taxat collocatur: excitantur vero tibia animive oblecta„ tione, aut temulentia, aut adstantium exhortationibus, ut „ maneat hujusmodi furor a Deorum afflatu: quod si inco„ lumes desistant, bono, & pacato animo sint. „ Unde Martialis *l. 3. epigr. 63.* Gallum appellat castratum more istorum sacerdotum, ubi:

Amisti testes, jam mihi Gallus erit.

Idem observari a sacerdotibus Dianæ refert Strabo *l. 14.* & prodidit D. Hieronymus *in l. 1. adversus Jovinianum*, ibi: *Hierophantes Athenienſium usque hodie cicuta sorbitione castrari, & postquam in Pontificatum fuerint electi, viros esse desinire.* Idem de sacerdotibus Bellonæ refert Farnabius *ad Senecam, in Medeam act. 2. vers. 82. pag. 100.* quod valde insanum erat, cum carnis stimulos non devitent qui exsecti sunt, ut docent Epictetus *apud Arrianum l. 2. c. 20.* S. Basilius *sub finem libri de virgin.* plenissime & disertissime August. *6. in Jul. c. 5.* ac scite Arnobius *l. 5.* ridens Deorum consilium de Aty castrando, ut

castus inter Deos viveret. *Quasi vero*, inquit, *affecti corporalibus his damnis, fiant languidiores audacie, & non quotidie videamus eos, qui sibi demessuerint has partes, majoris petulantie fieri; atque omnibus postpositis & pudoris, & verecundie frenis, in obscenam prorumpere vilitatem, flagitiorum confessione vulgata?* Imo plerumque spadones, ut S. Hieronym. *l. in Jovin.* loquitur, in longam, securamque libidinem exsecabantur. Videndus Brodeus *l. 4. miscell. c.* 21. Recte ergo in præsenti ab ordinibus arcentur, qui per eam immanitatem in divinum opus, ipsumque proinde Deum injuriam admittunt, ut ajebat D. Chrysostomus *in c. 5. ad Galatas*, per hæc verba: *Ubi nunc sunt, qui seipsos audent evitare, simul & Apostolicam imprecationem sibi accersentes, & Dei opificium accusantes, & a Manichæis stantes? nam illi quidem ajunt corpus insidiosum esse, malaque materie. Hi vero sæpius suis crudelibus illis opinionibus præbent ansam, dum membrum amputant velut insidians & inimicum.* Alia prosequitur Theophilus Raynaud. *tom. 4. lib. 3. de jure comment. scit.* 3. *cap.* 1. *fol.* 255.

§ Distinguuntur difficultates.

Nec obstat prima difficultas deducta *ex c.* 29. *Deuteronom.* nam licet illud ad sensum mysticum referant Beda *ibi*, Theodoretus *q.* 25. *in Deuteron.* eos tamen refellit Filesacus *lib.* 1. *select. c.*11. qui affirmat in eo textu prohiberi eunuchis ingredi Ecclesiam Dei, hoc est commercium habere cum Hebræis, & jus ducendi puellas Hebræas; quæ prohibitio ea nitebatur ratione, quia cum ipsi sperarent Messiam ex progenie propria, & nulla ex eunuchis soboles sperareturs; ideo eos neque ad commercium, neque ad connubium admittebant. Neque quod dicebamus de eunuchis arcendis ab honoribus, & dignitatibus, refragatur; nam illud procedit jure civili attento, quo a Consiliis & Senatu removebantur ex ratione communi, quia tertium genus hominum videntur. Lampridius *in vita Alexandri*. *Alexander Severus tertium genus hominum eunuchos esse dicebat, neque videndum, neque in usu habendum a viris; sed vix a feminis nobilibus*. Et in fine ita subjungit: *Hoc accedit, quod eunuchos neque in consiliis, neque in ministeriis habuit.* Mamertinus *in panegyrico ad Julianum apostatam*, ibi. *Eunuchos quasi a consortio generis humani extorres, ab utroque sexu, aut natura origo, aut clades corporis separavit.* Unde in eos ita acriter invehitur S. Basilius *epist.* 87. ad Simpliciam hæreticam: *Ignominiosum, ac modis omnibus perniciosum eunuchorum genus, genus hoc, inquam, nec femineum, nec masculinum, insanieus in mulieres, invidiosum, vilis pretii, animo fereci, effeminatum, ventrideditum, auri cupidum, servum, inconstans, illiberale, quidvis suscipiens, insatiabile, furiosum, & zelotypum, & quod amplius dicendum est, cum ista statim generatione ad ferrum damnatum.* Plura Suidas verbo *Spado*, Beyerlink *verbo Eunuchus*, Salvagnus *ad Oxidium in libin*, *fol.* 251. unde Imperatores acriter in Eunomianos spadones exarserunt *in l.* 17. *Cod. Theod. de hæret.* Jure vero nostro Pontificio, dum sine voluntate ita nati, aut facti sunt, admittuntur ad Sacerdotium, & alias dignitates, ut auctoritatibus, & exemplis probat Filesacus *d. c.* 11. Nec secunda difficultas adversatur, deprompta *ex c.* 19. *Matthæi*; nam licet relata verba in sensu litterali accipientes Origenes, & Leontius (de quo Socrates *l.* 2. *hist. c.* 21. ait: *Leontius cum Presbyter esset, eo dignitatis gradu privatus est quod genitalia sibi excecuisset*: & de eo ab Arrianis Antiochenæ Ecclesiæ profecto inquit Theodoretus *l.* 2. *c.* 24. *Antiochi. vero post Stephanum Ecclesiæ Primatum susceptæ Leontius, quem contra Nicæni Concilii decreta adeptus est, nam sua ipse sibi manu genitalia exsecuerat*; ut supra retuli,) se castraverint, & ejus textus auctoritate moti hæretici Valesiani appellati, non solum omnes se castrarent, verum & sectæ professores, ut se castrarent, adigebant, ut referunt Baronius *anno* 249. *tom.*2. Castro *adversus hereses*, *verbo Eunuchos*. Pro ejus tamen textus expositione dicendum est, in eo Dominum laudare continentiam observantes, qui ob ejus amorem spiritualiter se castraverunt, de quibus ipse Dominus apud Marcum *cap.* 15. ibi: *Hæc dixit Dominus eunuchis, id est continentibus*. Ita textum illum accipiunt, & interpretantur D. Cyprianus *de habitu virgin.* D. August. *de statu virgin. c.* 23. Abulensis *ibi*, Mendoza *q.* 4. *positiva*, Bellarminus *l.* 2. *controv. tit. de monach. c.* 23. Neque exempla relata a Patre Zerda contrarium suadent; nam in illis supponenda est divina inspiratio, quo casu ficut & se occidere, ut late probabimus *in c. ex parte* 11. *de sepulturis*; ita & se mutilare licet, alias illi ex castratione ardentiori libidine vexarentur, ut de eunuchis lasciviendibus referunt D. Chrysostomus *in d. cap.* 19. *Matthæi*, D. Basilius *de virginibus*, Mauretus *lib.*1. *variar. c.*11. & nos *infra*. Nec tandem quod dicebamus, licere unicuique in suum corpus sæviere, *d. l.*9. §. *si idem servus*, *ff. de peculio*, obstat; nam textus ille communiter accipitur de facto, quia ex facto, tam liberi homines, quam servi se præcipitare, aut mutilare possunt, ut docet Ameseua *de potest. in seipsum*, *lib.* 1. *c.* 3. sed veram interpretationem dabimus *in c. ex parte*, *de sepulturis*. Et quod dicebamus, hominem usufructuarium corporis esse, fallum est, ut probat Caramuel *ubi supra*, Diana *d. p.* 11. *tract.* 1. *resol.* 13. Prado *tom.* 2. *Theolog. moral. cap.* 20. *quæst.* 5. §. 10.

9 Exponitur textus in canone c. sextæ Synodi.

Adhuc hinc asertioni opponitur textus *in can.* 5. *sexta Synodi*, ibi: *Nullus eorum, qui in sacerdotali catalogo recensentur, extra eas, quæ in canone inseruntur, a suspicione alienas personas agens, mulierem possideat, vel ancillam, se nulli reprehensioni assignet ex hoc servans. Si quis autem quæ a nobis definita sunt, transilierit, deponatur. Hoc ipsum autem eunuchi servent, ut a vituperatione alieni sint, providentes. Qui autem transgrediuntur, si sint quidem clerici, deponantur; si vero laici, segregentur.* Ex quibus verbis ita argumentum conficitur: En textum ubi clerici eunuchis proponuntur: igitur quia abscissio in eunuchis non præstat impedimentum, quominus illi ad sacros ordines admitti possint. Hujus textus vera interpretatio ex supra dictis provenit. Supponimus enim, eunuchorum tria esse genera. Primos appellari thlibias, qui in cunabulis membra genitalia amiserunt: secundos spadones, qui cum eo defectu nati fuerunt: tertios castratos, qui ferro caustico, aut alio instrumento secti sunt. Docent Fornerius, Alciatus, & Gentilis *in l. spadonem* 128. *ff. de V. S.* Theophilus, & alii *in* §. *spadones Instit. de adoption.* Ex his thlibiæ, & spadones ordinari possunt; nam cum illi sine ulla voluntate secti reperiantur, merito irregulares non judicantur, de quibus accipiendi sunt Patres textæ Synodi *d. can.* 5. & Luitprandus *in legatione ad Nicephorum Phocam*, ibi; *Ipsi vendunt, ipsi emunt; ostia ipsi claudunt, ipsi aperiunt, ipsi dapiferi, ipsi agasones, ipsi caponet; sed heu capones velui scribere! Verum res ipsa, quæ vera est, veritatem etiam nolentem compulit scribere; dicimus enim, quia caponet sunt, id est eunuchi, quod canonicum non est; sunt & caponet, id est tabernarii, quod contra canones*. Prohibent tamen Patres *in dist. can.* 5. consortium eunuchis sacerdotibus cum mulieribus, ut a vituperatione alieni sint: sciebant enim venerem, atque incredibilem erga mulieres vesaniam illos aspirare, ut late disserit S. Cyrillus apud Suidam, verbo *Spado*, & exemplis probatur relatis ab Apulejo *l.*8. *Milesiarum*, quæ sine rubore legi, aut referri nequeunt; quare ea omitto. Illud tamen admiratione dignum est, quod refert D. Basilius *de vera virgin.* videlicet virginem quamdam Ecclesiæ canonicam non sine lacrymis retulisse, eunuchum qui illam deperibat, totum toti affusum, cum non haberet quo posset concupiscentiæ suæ satisfacere, dentibus uti solitum, ardentem concubitus rabiem in carnis proccessus, *propter turpitudinem illas eminentias abscindunt, nihilque sit iis indecorum, cum per artificem naturalem corporis habitum recipiunt*, &c. Ex quibus deducitur, licere unicuique membra sui corporis abscindere: igitur qui virilia abscidit, non ideo irregularis manet. Pro cujus constitutionis expositione dicendum est, abscissionem membri superflui cuilibet permissam esse, itaut possit quis sine ulla irregularitatis nota abundantem auriculam, vel superfluum digitum amputare, cum illæ partes monstruosæ corporis non sint; secus vero si membrum necessarium amputasset, *c. ab exordio*, 35. *dist.* unde Isajam partem linguæ superfluam abscidisse, refert Archidiaconus *in c. scriptum* 8. *q.* 1. Divumque Hieronymum ad rectam Hebraicæ linguæ pronuntiationem, superfluitatem dentium limasse, ex variis historicis refert Majolus *l.* 1. *de irregul. cap.* 14. unde cum *in d. c.* 47. *D. Clementis*, agatur de membris superfluis recte asserit S. P. eorum abscissionem permissam esse.

10 Intelligitur D. Clemens.

Tertio adversatur textus *in cap. maritum*, 33. *dist.* in illis verbis: *Justo, vel injusto timore superatus*. Ex quibus deducitur, tam injuste se mutilantem, quam justo metu superatum, veluti lepræ medendæ causa, irregularitatem ex ipsa abscissione contrahere. Pro hujus textus interpretatione discrimen constituendum est inter eum, qui a Medicis, seu Chirurgis fuit sectus; & inter eum, qui ex indignatione seipsum abscidit, justo, vel injusto timore superatus. Primo casu nulla irregularitas contrahitur, *d. cap. si quis a Medicis*, *d. c. si quis in agritudine*; secundo vero casu cum ex indignatione, seu manu propria quis mutilatur, in irregularitatem incidit. Jvo Carnot. *epist.* 231. in illis verbis: *De cetero si monachi illius transgressionem, qui se propter epilepsiam curandam eunuchizavit, secundum rigorem canonum animadvertere vultis, neque ad altiorem gradum promoveri poterit, neque in eo, in quo erat, ordine ministrabit; quod sicut bene nostis, ei non interdiceretur, si sectus esset a Medicis: si enim secundum Nicænos canones illi ab ecclesiasticis officiis removentur, qui se abscindunt obtentu servandæ castitatis; multo magis illi removendi sunt, qui se eunuchizant caussa curandæ corporalis agritudinis*. Quo casu procedit textus *in d. c. maritum*.

11 Intelligitur textus in c. maritum, 33. dist.

Quarto refragatur textus *in c. qui in aliquo*, 51. *dist.* in illis verbis: *Qui semetipsum abscederunt, aut naturali defectu membrorum, aut decisione aliquid minus habere noscuntur*. Ex quibus expresse liquet ad sacros ordines promoveri non posse eos, qui se abscederunt, aut naturalem defectum membrorum patiuntur: igitur spadones, aut in cunabulis secti, sive a Barbaris mutilati, irregulares sunt. Huic difficultati ex supra dictis satisfaciendum est asserendo, ea verba, *aliquid minus*, exaudienda esse, non de defectu cujuslibet membri, sed de defectu membri necessarii ad ministrandum, seu ex cujus defectu deformitas sequebatur: tunc enim licet sine culpa ex corporis vitio irregularitas contrahitur, ut superiori commentario probavi.

12 Exponitur textus in c. qui in aliquo, 51. dist.

Quinto expendi potest adversus hanc conclusionem textus *in c.*2. *de clerico ægrotante*, ubi qui mutilatus fuit per insidias a prædonibus, in susceptis ordinibus non valet ministrare: igitur qui a Medicis, vel per insidias a Barbaris mutilatus est, ad ordines promoveri non potest. Augetur hæc difficultas, nam virgo, quæ per insidias a Barbaris oppressa est, non potest inter virgines consecrari, *c. illa autem* 14.32.*q.*5. igitur qui per insidias a Barbaris mutilatus est, non potest in Presbyterum consecrari. Primæ difficultati satisfaciendum est asserendo mutilationem etiam per insidias ex incursione barbarica contingentem, inducere irregularitatem, cum abscinditur pars essentialis ad ministran-

13 Explicatur c. §. de clerico ægrotante.

ministrandum. Quare cum *in d. c.* 2. abscissi essent duo digiti cum medietate palmæ, ideo Prerbytero in altari ministrare prohibetur; tunc enim potius in impotentiam, quam in irregularitatem inciditur. Unde potest talis sacerdos alia munia obire, veluti absolvere, baptizare, & prædicare. Secundæ difficultati eodem modo satisfaciendum est; cum enim per oppressionem barbaricam mulier virginitatem amiserit corporalem, quam neque Deus restituere potest, *c. si Paulus*, 32. *q.* 5. docent Narbona *anno* 10. *& dimidio*, *q.* 24. Majolus *tom.* 1. *dierum canonic. colloquio* 3. Arellanus *de juris ratione*, *lib.* 2. *cap.* 4. & cum virginitas omnino desideretur ad consecrationem feminæ, *c. viduas*, *cum sequenti*, 27. *q.* 1. ideo *in dist. cap. illa* 14. deciditur oppressam per insidias a Barbaris consecrari non posse. Docent Brixiensis *q.*81. Germonius *lib.* 3. *sacrorum*, *c.* 10. *n.* 13. ipse *in c. sacris*, *de his quæ vi*. At in nostro casu cum mutilatus quis est a Barbaris in parte nullo modo necessaria ad ministrandum, non est ratio, quare irregularis judicetur.

TITULUS XXI.

De bigamis non ordinandis.

CAPUT PRIMUM.

Ex Concilio a *Aurelian.*

UT *b* bigami, *c* pœnitentes, vel repudiatarum *d* mariti ad sacerdotium non ascendant.

NOTÆ.

1 a *Aurelianensis.*) *Can.*3. legitur etiam apud Papiensem *sub hoc tit. c.*1. *in collect.* apud Jvonem tamen *p.* 6. *c.* 134. Burchardum *l.* 2. *c.* 33. Gratianum *in c.* 2. *dist.* 55. legitur *can.* 10. cujus varietatis occasio ex eo provenit, quod tam Decretistæ, quam Raymundus in præsenti non transcripserunt verba Concilii, sed sententiam tantum ejus, quæ ex utroque canone collecta videtur: neque enim in canone 3. Concilii Arelat. nec in canone 6. Concilii Aurelian. 3. verba hujus textus reperiuntur. In dicto canone 3. Concilii Arelat.3. ita legitur: *Nullus pœnitentem, nullus bigamum, nullus viduarum maritos in prædictis honoribus audeat ordinare*. In capite 6. Aurel. 3. ita cavetur: *Ne aut duarum uxorum vir, aut renupta maritus, aut pœnitentiam professus, aut segniori corpore, aut qui publice aliquando arreptus, ad suprascriptos ordines promoveatur*. Unde sententia in hoc textu proposita citari potest, tam ex uno, quam ex alio canone: credo tamen tam Decretistas, quam Raymundum respexisse ad canonem 3. Concilii Arelat.3. in ejus summario, ubi in editione tam Severini Binii, quam Regia Parisiensi, ita epitomatur canon: *Ut bigami, pœnitentes, vel repudiatarum mariti ad sacerdotium non provehantur*. Quæ sunt verba in hoc textu compilata.

b *Bigami.*) De quibus agam sequenti commentario.

c *Pœnitentes.*) De quibus non est alius locus ita expressus in toto hoc Decretalium volumine; quare in præsenti agere statui de hac specie irregularitatis ex pœnitentia provenientis.

d *Repudiatarum mariti.*) In dicto Concilio Arelat. legitur, *viduarum maritos*; in Aurelianensi vero, *renupta maritos*; sed in prædicto summario legitur, *repudiatarum mariti*: quæ littera retinenda est. Et scire oportet, etiam appellatione bigamorum comprehendi non solum eos, qui binas contraxerunt nuptias successive, defuncta prima uxore; verum & qui semel contraxerunt matrimonium, sed cum vidua. Repudiatarum vero mariti illi dicuntur, qui cum ejectis, & dimissis, & divortio facto repudiatis matrimonium contraxerunt; licet enim per divortium ex justa causa factum apud Romanos matrimonium solveretur, *l. si non* 35. *ff. de donat. inter*, *l. si ex lege* 43. *ff. ad leg. Jul. de adult. l.* 1. *&* 8. *Cod. Theod. de repudiis*; tamen jure canonico dissolvitur tantum quoad thorum, non vero quoad vinculum. Unde si quis cum repudiata nuptias contraxerit, de facto ut bigamus habetur, licet vere non sit. D. Chrysostomus *in epist. ad Titum*, *homilia* 2. ibi: *Impudicos etiam coercet, nec permittit ut qui cum binis nuptiis ad Ecclesiæ regimen, dignitatemque assumatur: qui enim erga eam, quæ repudiata discessit, nulliam benevolentiam servavit, quomodo is bonus Ecclesiæ Præses erit? quam ille non sustinebit reprehensionem? Nostis enim omnes, quod etsi per leges permissum sit secundis nuptiis jungi, tem tamen esse multa criminationi obnoxiam. Nullam igitur subjectis criminandi occasionem præbere Ecclesiæ Præsidem vult.* Theodorus ibidem; *Ut lascivos cohibeat* inquit: *Uxoris vir; qui enim nulliam servavit benevolentiam erga eam, quæ discessit, quomodo Ecclesiæ bene præerit? graviter enim puniuntur ipsæ repudiatæ, & illi qui cum eis matrimonia contraxerunt*. Concilium Illiber. *can.*8. *&* 72. De his ergo maritis repudiatarum accipienda sunt supra relata verba, quo modo etiam in aliis juris locis accipiunt Justellus *in can.* 105. *Ecclesiæ universal.* Hugo Grotius *de jure belli*, *lib.* 2. *c.* 5. *n.* 9. *in notis*.

COMMENTARIUM.

3 Conclusio deducitur & probatur.

EX hoc canone talis depromitur conclusio: *Pœnitentes solemniter ad Ordines admitti non possunt*. Probat eam textus *in c. maritum*, 33. *dist. c. si vero* 57. *c. si Presbyter*, *c. ex pœnitentibus* 55. *c. quicumque* 56. *c. si vero* 57. *c. si ille* 58. *c. non confidat* 59. *c. canones* 60. *c. confirmandum* 65. *c. illud* 66. *c. placuit* 68. *c. hi qui* 69. 50. *dist. c. hu.* 51. *dist. c. nullus* 2. 55. *dist. c. non negamus* 3. 61. *dist.* Concilium Epaunense *can.* 3. Agathense *can.* 43. Nicænum 1. *can.* 10. Tolet. 4. *can.* 18. *&* 53. Tolet. 10. *can.* 7. *&* 10. Tolet. 13. *can.* 10. Ancyranum *can.* 1. 2. *&* 3. Cabil. 1. *in synod. epistol.* Innocent. I. *epist.* 6. Zosimus *epist.* 1. *c.* 3. Gregorius Magnus *lib.* 2. *regestr. epist.* 25. Gregorius II. *epist.* 3. *ad clerum & plebem Turing.* Gelasius ad Episcopos *Lucaniæ*, *c.* 5. Hormisdas *epist.* 4. *c.* 1. Athanasius *in epist. ad Rufin. post principium*, Hilarius *epist.* 1. *c.* 4. Alia juris testimonia congerunt Anton. August. *in epit. l.* 4. *tit.* 8. & *l.* 28. *tit.* 15. Crespetius *verbo Pœnitentes*, *ult.* Illustrant ultra laudatos a Barbosa *in præsenti*, & *in d. cap. ex pœnitentibus*, *& lib.* 1. *juris cap.* 33. *nu.* 116. & *de potest. Episcop. alleg.* 43. *n.*6. P. Greg. *l.* 1. *part. tit.* 3. *cap.*3. *n.*4. *& l.*4. *tit.* 22. *cap.* 5. & *lib.* 2. *syntagm. cap.* 8. Bellarminus *lib.* 1. *de pœnit. tom.* 2. *controv. cap.* 21. Lantdmeter. *lib.*2. *de veteri cleric. c.*25. *&* 93. Mendoza *lib.*3. *pro confirm. Concil. cap.* 76. Morinus *lib.* 2. *exercit. cap.* 22. 23. 24. *&* 25. Albaspin. *in Optatum*, *observ.* 6. 7. *&* 8. *& l.* 2. *obs. cap.*39. Gibalinus *de censuris*, *disq.* 3. *cap.* 2. §. 7. & *disquisit.* 2. *cap.* 3. §. *finali*, & *de irregul. cap.* 5. *in fine*, *pag.* 400. Cironius *ad tit. de pœnit. & remiss.* Saussay *in Panopl. cleric. part.*1. *lib.* 3. *pag.* 133. Acunna & Dartis *in d. cap. ex pœnitentibus*, & *de canonica disciplina circa pœnitentiam*, *cap.* 28. Cabassutius *in notis. Concil. in can.* 60. *Chartag.* 4. Stephanus Durantius *q.* 33. Filesacus *in c.* 15. *de officio Ordin. in fine*, Cellotius *de hierarch. lib.* 6. *cap.* 17. Hallietius *contra ipsum*, *eod. tr. pag.* 276. plura erudite congerens D. Joannes Antonius de Otalora *de irregul. ex pœnit. excursa* 1. *cum sequentibus*.

4 Impugnatur tradita assertio.

Sed hæc assertio a juris ratione prorsus aliena videtur; nam pœnitentia solemnis in Ecclesia imponebatur pro peccatis gravioribus, publice, & cum populi Christiani scandalo perpetratis, ut fic quæ publice commissa erant, publice expiarentur, *cap.* 1. *de pœnit. & remiss.* Sed ipsa peccata graviora, ut homicidium, adulterium, & similia, ob quæ pœnitentia imponebatur solemnis, publice commissa inducebant irregularitatem, *cap. fin. de temporib. ordin.* igitur ipsa peccata per se, non autem pœnitentia ob ea impofita, inducunt irregularitatem. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, nam si pœnitentia solemnis per se irregularitatem induceret, similiter excommunicatio eam produceret in excommunicato, & publico anathemate percusso, cum non minor execratio in Ecclesia fieret cum excommunicato, ac cum solemniter pœnitente; nec minor canonica infamia ex una, quam ex alia irrogaretur: imo ipsam pœnitentiam solemnem esse quamdam excommunicationem, probat Morinus *lib.* 2. *exercit. cap.*3. *&* 20. Sed licet publico anathemate percussi durante excomunicatione ordinari non posit, ut probavi *in cap.* 2. *de ordinatis ab Episcopo*; tamen post absolutionem, etsi ob peccatum publicum, vel grave, ut est apostasia, infligatur, potest apostata ad majores ordines ascendere, *cap. fin. de apostatis*: late probat Gibalinus *de clausuræ*, *disquisit.* 2. *c.* 3. §. 4. igitur si excommunicatio post absolutionem non inducit irregularitatem, nec pœnitentia solemnis post reconciliationem debet inducere. Secundo augetur hæc difficultas ea subtili consideratione; nam si pœnitentia solemnis clericos non dedeceret, & qui ei semel in Ecclesia caput subdiderunt, ordinari non possent, sequeretur quod Presbyteri post gradus susceptos symbolum, & indicium pœnitentiæ solemnis deferre non possent, nec susceptis ordinibus probrum inferrent: sed possunt symbolum hoc deferre: igitur & dum peragunt pœnitentiam solemnem valent ordinari. Probatur minor; nam speciale indicium, & propria tessera solemnis pœnitentia, est capitis attonsio, *cap. in capite*, 50. *dist.* Concilium Tolet.3. *can.*11. *Quicumque ab Episcopo, vel Presbytero sanus, vel infirmus pœnitentiam postulat, id ante omnia Episcopus observet, & Presbyter, ut si est vir, sive sanus, sive infirmus, prius eum tondeat, & sic pœnitentiam ei tradat; si vero mulier fuerit, non accipiat pœnitentiam, nisi prius mutaverit habitum*. Et ex Agathensi circa tempora Cælestini Papæ I. *can.* 15. *Pœnitentes*, ait, *tempore quo pœnitentiam petunt, impositionem manuum, & cilicium super caput a Sacerdote, sicut ubique constitutum est, consequantur: si autem comas non deposuerint, aut vestimenta non mutaverint, objicientur*, &c. Et in Concilio Tolet. 4. *can.* 54.